This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com





Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

A 429/784

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google




Sumptibus Friederici Pustet, typographi Apostolici Ratisbonae.

Digitized by Google

+ A mon Cher Florian

# MANUALE
# PII SACERDOTIS

COMPLECTENS

**PRECES ET PIETATIS EXERCITIA**

EXCERPTA EX OPERIBUS

SANCTI ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

ET LATINE REDDITA

AB UNO EX PRESBYTERIS

CONGREG. SS. REDEMPTORIS.

ALTERA EDITIO AUCTIOR ET EMENDATIOR.

**Ratisbonæ, Romæ et Neo Eboraci.**
Sumptibus et Typis Friderici Pustet.
S. Sedis Apostolicæ Typographi.
MDCCCIC.

Digitized by Google



Digitized by Google

+ A mon Cher Florian
Esto bonus Miles Sti Jesu. Joseph J.

# MANUALE
# PII SACERDOTIS

COMPLECTENS

**PRECES ET PIETATIS EXERCITIA**

EXCERPTA EX OPERIBUS

**SANCTI ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO**

ET LATINE REDDITA

AB UNO EX PRESBYTERIS

CONGREG. SS. REDEMPTORIS.

ALTERA EDITIO AUCTIOR E[illegible]IOR.

BIBLIOTHÈQUE S. J
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

**Ratisbonæ, Romæ et Neo Eboraci.**
Sumptibus et Typis Friderici Pustet,
S. Sedis Apostolicæ Typographi.
MDCCCIC.

Digitized by Google

**Imprimatur.**

Ratisbonæ, die 22. Novembris 1898.

Dr. Fr. X. Leitner,
Vic. in Spir. Gen.

Digitized by Google

# APPROBATIO.

*Manuale pii sacerdotis,* quod Alumnus quidam Congregationis Sanctissimi Redemptoris ita concinnavit, ut plerasque preces et devotas exercitationes ex operibus S. P. N. Alphonsi desumeret, aptissimum putamus ad excitandam et fovendam in venerabili Clero veram solidamque pietatem. Quare libenter annuimus, quantum ad Nos spectat, ut libellus iterum typis mandetur.

Romæ, die 15. Augusti 1898, Festo Assumptionis B. M. V.

**Mathias Raus,**
Congregationis SS. Red. Sup. Gen. et Rect. Maj.

Digitized by Google

Digitized by Google

## Præfatio ad lectorem.

En tibi, amice lector, parvum librum, quem *Manuale pii sacerdotis* inscribere placuit, quia videtur ad excitandam nutriendamque sacerdotis pietatem apprime accommodatus. Fore equidem spero, ut tu non minus avide quam delectabiliter eo utaris. Si enim paucæ illæ, quas stellulis prænotatas reperies, preces excipiuntur, excerptus est totus quantus ex operibus S. Alphonsi, qui in magna precandi arte ita excelluit, ut christianæ precationis apostolus appellari posse videatur.

Constat *Manuale* tribus partibus. In prima B. Doctor docebit te, quomodo tibi sit quotidie vivendum, ut revera te exhibeas tanquam ministrum Dei, et dispensatorem mysteriorum Ejus. Altera pars complectitur omnia pietatis exercitia, quæ ad quotidianum usum spectant. In tertia de-

Digitized by Google

nique parte reperiuntur varia pietatis exercitia, quæ magnopere ad fovendam tuam pietatem juvare possunt.

En paucis præsentis *Manualis* argumentum ac partitio. Tu igitur utere frequenter hoc libello, in quo uberem tibi orationis materiam reperies. Juvet te, Deum et Christum Dominum ac Deiparam Virginem ipsis S. Alphonsi verbis alloqui. Esto precator assiduus, et efflagita tibi jugiter, sicut Alphonsus facere solebat, sanctum Dei amorem, perseverantiam in bono usque in finem, et divinæ voluntatis exsecutionem perfectam. Quid plura? Delectare semper in Domino, et Ipse, cum sit nostri amantissimus, dabit tibi petitiones cordis tui. Valė.

---

Huic præfationi quam, decem abhinc annis, priori *Manualis* editioni præmiseram, hoc solum, quod cæteroquin in libri fronte jam prænotatum est, coronidis causa hic

Digitized by Google

addam; esse scilicet novam hanc editionem priore auctiorem simul et emendatiorem. Est auctior, quia pluribus precibus ac piis considerationibus locupletior; est etiam priore editione emendatior, quia in hoc studiose incubui, ut pristinam meam lucubrationem, quæ multis in locis mendosa erat, meliore latinitate expolirem. Quapropter bonam spem habeo fore ut, quandoquidem prior editio benigne excepta fuit, hæc altera adhuc benignius excipiatur. Quod si, ad Dei gloriam, ita contigerit, non parva profecto jucunditate ego inde perfundar.

Romæ, ex Congregationis SS. Redemptoris ædibus, die octavo Septembris an. MDCCCXCVII.



Digitized by Google

# INDEX.

## Pars prima.

### Sacerdotalis vitæ descriptio.

Pag.

1. Ordo vitæ servandus . . . . . . . 1
2. Norma assequendæ perfectionis . . . 12
3. Sententiæ tenendæ . . . . . . . 29

## Pars secunda.

### Exercitia pietatis ad quotidianæ vitæ ordinem spectantia.

1. Preces matutinæ . . . . . . 33
2. Meditationes . . . . . . . 40
I. De Sacerdotis fine . . . . . . . 41
II. De Sacerdotis sanctitate . . . . . 45
III. De Sacerdotis bono exemplo . . . . 50
IV. De Sacerdotis vita tepida . . . . . 56
V. De Sacerdotis caritate erga Deum . . 60
VI. De Sacerdotis Zelo . . . . . . 64
VII. De Sacerdotis pietate erga Virginem Deiparam . . . . . . . . . . 68
3. Preces ante et post Confessionem sacramentalem.
Preces ante Confessionem . . . . . . 74
Preces post Confessionem . . . . . . 76

Digitized by Google

Pag.

**4. Celebratio Missæ.**

Lectio prævia.
I. Quam alta res sit Missæ sacrificium . 78
II. Quantum reprehendenda sit irreverens Sacrificatio . . . . . . . . . 84
III. Quid agendum sit sacerdoti ante et post Missam . . . . . . . . . . 89

**Præparationes ad Missam et gratiarum actiones post Missam.**

Series prima. (Ex Missali Romano.)
I. Præparatio ad Missam . . . . 94
II. Gratiarum actio post Missam . . . 120
Piæ petitiones post Missam . . . 131
Series secunda.
Die Dominica. — Præparatio ad Missam . 138
" " Gratiarum actio . . . 145
Feria II. Præparatio ad Missam . . 147
" " Gratiarum actio . . . . . . 153
Feria III. Præparatio ad Missam . . . 155
" " Gratiarum actio . . . . . . 160
Feria IV. Præparatio ad Missam . . . 163
" " Gratiarum actio . . . . . . 167
Feria V. Præparatio ad Missam . . . 170
" " Gratiarum actio . . . . . . 174
Feria VI. Præparatio ad Missam . . . 177
" " Gratiarum actio . . . . . . 181
Sabbato. Præparatio ad Missam . . . 183
" Gratiarum actio . . . . . . 188
Series tertia.
Die Dominica. — Præparatio ad Missam . 192
" " Gratiarum actio . . . 194

Digitized by Google

Pag.

Feria II. Præparatio ad Missam . . . . 196
„ „ Gratiarum actio . . . . . . 198
Feria III. Præparatio ad Missam . . . . 200
„ „ Gratiarum actio . . . . . . 203
Feria IV. Præparatio ad Missam . . . . 205
„ „ Gratiarum actio . . . . . . 207
Feria V. Præparatio ad Missam . . . . 209
„ „ Gratiarum actio . . . . . . 211
Feria VI. Præparatio ad Missam . . . . 213
„ „ Gratiarum actio . . . . . . 215
Sabbato. Præparatio ad Missam . . . . 217
„ Gratiarum actio . . . . . . 220

5. Amoris suspiria ad Jesum in SS. Sacramento . . . . . . . . . 221

6. Oratio dicenda a sacerdotibus . . 254

Salutationes SS. Sacramenti et B. V. M. 256

Die 1. Jesus, fons omnium bonorum . . 260
„ 2. Jesus, noster cibus et socius . . 263
„ 3. Jesus, in nostra sibi complacens conversatione . . . . . . . . . 266
„ 4. Jesus, noster in terris Paradisus . 268
„ 5. Jesus, hominum amator . . . . 271
„ 6. Jesus, thesaurus allectans corda . 273
„ 7. Jesus, noster perpetuus socius . . 275
„ 8. Jesus, optans fidenter adiri . . . 278
„ 9. Jesus, quærens animas quas repleat gratiis . . . . . . . . . . 281
„ 10. Jesus, quies unica nostrorum votorum 284
„ 11. Jesus, munificus in sui cultores . . 287
„ 12. Jesus, præ omni alio bono diligendus 290
„ 13. Jesus, perennis noster hospes . . 292

Digitized by Google

Pag.

Die 14. Jesus, nostris benigne annuens precibus . . . . . . . . . . 295
„ 15. Jesus, ignis inflammans corda hominum . . . . . . . . . . 298
„ 16. Jesus, medicus animarum . . . 301
„ 17. Jesus, hominum consolator . . . 303
„ 18. Jesus, exspectans nostras salutationes 307
„ 19. Jesus, noster amicus . . . . . 310
„ 20. Jesus, mundans nos a quotidianis culpis . . . . . . . . . . 313
„ 21. Jesus, magnes animarum terrestria aversantium . . . . . . . 316
„ 22. Jesus, facilis accessu . . . . . 319
„ 23. Jesus, Rex cœli, noster Vicinus . . 322
„ 24. Jesus velans Majestatem, ut revelet caritatem . . . . . . . . 326
„ 25. Jesus, semper obediens sacerdotibus 329
„ 26. Jesus, nostrum gaudium . . . 333
„ 27. Jesus, in amando mirabilis . . . 336
„ 28. Jesus, omnium gratiarum pignus . 340
„ 29. Jesus, exposcens sibi nostra corda . 343
„ 30. Jesus abscondens suam gloriam, ut ingerat fiduciam . . . . . . 347
„ 31. Jesus, summa nos benignitate exspectans . . . . . . . . . . 351

Piæ acclamationes ad compensandas blasphemias . . . . . . . . . . . 356

S. Alphonsi carmen in honorem Jesu reconditi in tabernaculo . . . . . . . 357

8. Preces Vespertinæ . . . . . . 359



Digitized by Google

## Pars tertia.

### Exercitia pietatis pro opportunitate temporis peragenda.

#### 1. In honorem Sanctissimæ Trinitatis.

Corona precatoria . . . . . . . . . 367

#### 2. In honorem Spiritus Sancti.

Hymnus: Veni, Creator . . . . . . 375
Sequentia: Veni, Sancte . . . . . . 377

#### 3. In honorem Salvatoris nostri J. Ch.

Exercitium Viæ Crucis . . . . . . 379
Oratio ad Vulnera Christi . . . . . . 392
Salutationes ad omnia membra Christi . . 392
Litaniæ Sanctissimi Nominis Jesu . . . 394
Hymnus: Jesu dulcis memoria . . . 398
Corona precatoria in hon. Cordis Jesu . . 400

#### 4. In honorem B. V. Mariæ.

S. Alphonsi carmen de laudibus Virginis Deiparæ . . . . . . . . . . . 404

Orationes pro singulis hebdomadæ diebus.

Die Dominica. Ad impetrandam veniam peccatorum . . . . . . 406
Feria II. Ad impetrandam sanctam perseverantiam . . . . . . . . 407
„ III. Ad impetrandam bonam mortem 409
„ IV. Ad impetrandam ab inferis præservationem . . . . . . . . 410
„ V. Ad consequendum Paradisum . 411
„ VI. Ad impetrandum amorem B. Mariæ Virg. et Jesu Christi . . . . 413

Pag.
Sabbato. Ad impetrandum B. Virginis Patrocinium . . . . . . . . . 414
S. Alphonsi Pii affectus in Mariam . . . 416
Corona precatoria in honorem septem dolorum Deiparæ B. M. V. . . . . . 417
Sequentia: Stabat Mater . . . . . . . 425
Corona precatoria in hon. B. M. V. de perpetuo Succursu, cum hymno . . . . 427
Psalmi in hon. SS. Nominis Mariæ . . . 435

5. In honorem S. Joseph.

Corona precatoria in honorem septem ejus dolorum et septem gaudiorum . . 449
Oratio ad S. Joseph B. M. V. Sponsum et Ecclesiæ Patronum . . . . . . . . 454
Alia ad S. Josephum oratio a Summo Pontifice Leone XIII. edita . . . . . . 456
Oratio pro felici morte . . . . . . . . 457

6. Ad S. Michaëlem pro felici morte . 458

7. Obtestatio pro bona morte . .. . 459



# Appendix.

## Variæ Benedictiones.

### I. Benedictiones reservatæ.


1. Benedictio Scapularis reservatæ . . . 463
2. Benedictiones scapularium SS. Trinitatis 465
3. Benedictio Imaginum . . . . . . 468
4. Benedictio Rosariorum B. M. V. . . . 469


### II. Benedictiones communes.


5. Benedictio domus novæ . . . . . . 471
6. Benedictio super fruges et vineas . . 472
7. Benedictio ad quodcumque comestibile . 473
8. Benedictio Infantis . . . . . . . 474
9. Benedictio Adulti Ægrotantis . . . 475
10. Benedictio cujuscumque Medicinæ . . 477
11. Benedictio pecorum et jumentorum . . 478
12. Benedictio horrei seu segetum demessarum 479
13. Benedictio ad omnia . . . . . . 479




Digitized by Google

# MANUALE
## PII SACERDOTIS.



Digitized by Google

Digitized by Google




# PARS PRIMA

## Sacerdotalis vitæ descriptio.

### § 1. Ordo vitæ servandus.

1. Mane ut primum sacerdos e lecto surrexerit, agat confestim gratias Deo; eliciat actum amoris cum actu oblationis, quo se et omnia, quæ intra diem acturus et passurus est, divinæ gloriæ addicat et consecret; dein imploret suppliciter auxilium Dei et Beatæ Virginis Mariæ, ut eorum ope ab omni culpæ labe immunis præservetur.

2. Inde impendat semihoram meditandis aut veritatibus æternis, aut mysteriis Passionis Christi Domini. Et hanc quidem super Passione meditationem eo opportunius ante Missam instituet, quod



Digitized by Google

ipse ejusdem Passionis memoriam mox renovaturus est; cum in ara idem ac olim in cruce sacrificium eademque victima Deo offerantur. Meditationem autem ita instituat ut, posteaquam considerationis punctum perlegerit, diu in contritionis atque amoris eliciendis actibus immoretur, et maxime in fundendis ad Deum precibus, quibus nimirum perseverantiam in divina gratia et donum divini amoris sibi efflagitet. Neque unquam meditationem ob qualecumque tædium molestiamve prætermittat; istiusmodi enim prætermissio magnum importaret periculum faciendi Dei jacturam. Et licet omne tempus in iterandis hisce verbis transigeretur: *mi Deus, adjuva me, o bone Jesu, miserere mei,* perbona jam et fructuosissima foret meditatio. Et quoniam silentium in mentis recollectionem inducit, recipiat se tunc temporis sacerdos in aliquod conclave, ubi solus cum solo Christo cruci affixo conversetur. Atque hunc in finem curet ut propria ac separata sibi sit cellula. Quam si habere nequeat, melius erit utique instituere meditationem in Ecclesia, quam domi inter transeuntium et confabulantium strepitum ac tumultum.

Digitized by Google

3. Terminata meditatione, recitatisque (Nona excepta) Parvis Horis, conferat se illico in Ecclesiam, ubi Missam celebret. Expedit enim, nisi quid obstet, ut celebrationem cæteris suis occupationibus præmittat: sic enim majori mentis recollectione inter sacrum perfruetur. Etsi autem meditatio jam præcesserit, non omittat tamen adhuc paullulum ad Missam se præparare, excitando suam in rem divinam quam facturus est fidem, et eliciendo, sin minus multos, at saltem tres hos actus, actum nempe amoris, actum doloris de admissis culpis, et actum desiderii recipiendi Jesum Christum cum eoque arcte se conjungendi. Nec omittat gratiarum actioni, post sacrum, per integram horam vacare, vel saltem per semihoram, transigendo hoc tempus in eliciendis actibus amoris et sui ipsius oblationis, et in multis fundendis precibus. Tempus quod Missam subsequitur, est tempus coacervandi sibi immensos gratiarum thesauros. Quodsi præ mentis ariditate nullo tunc pietatis sensu moveatur, sumat in manus aliquem librum, et pios, quos ibi repererit, erga Jesum Christum affectus attente perlegat iisque immoretur.



Digitized by Google

4. Post gratiarum actionem adeat, si est confessarius, sacrum Tribunal ad audiendas pœnitentium confessiones. Atque hic notandum est, posse quidem confessarios diebus majoris concursus, sicut et diebus festis magis solemnibus, reddere suam gratiarum actionem solito breviorem, ut ita plus temporis auditioni confessionum impendant. Verum hi casus rari sunt; nec generatim expedit, ut solitum actionis gratiarum tempus contrahatur ob fucosam hanc rationem, quod alioquin pœnitentibus nimis longa mora inferatur. Verumtamen, si inter eos reperiuntur homines qui sacramenta raro suscipiant, melius foret eorum confessionem jam ante Missam audire. Hi enim sunt omnis moræ impatientissimi; et si infecta confessione recedunt, scit Deus quando postea sint ad sacrum Tribunal reversuri. Si vero sacerdos nondum est confessarius, revertatur illico post gratiarum actionem domum, ibique sacræ doctrinæ studio vacet.

5. Atque hic præmonendum est, neutiquam requiri ut, quo ordine singula exercitia hic recensentur, eodem etiam peragantur. Caput est ut omnia et singula

exercitia quotidie peragantur, nec magni proinde refert utrum unum alteri, pro temporis opportunitate, postponatur an præponatur. Sic v. gr. tempore hiemali, cum tarde dilucescit, poterit sacerdos post meditationem et officii recitationem, unam vel duas horas in litterarum studio transigere. De cætero, qui vitam vere sacerdotalem vivere desiderat, debet singulis suis exercitiis certum tempus præstituere, ita ut omnia et singula exercitia stabili ordine peragantur, nec sequi exemplum eorum, qui in rebus quas agunt nullum ordinem servant. Inordinata enim vita est imago inferni, quem Job appellat: *terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*[1])

6. Studiorum porro materia sit: vel theologia moralis, quam perdiscat oportet sacerdos, ut ita peritus Sacramenti Pœnitentiæ minister evadat; vel compositio sacrarum concionum; vel alia id genus, quæ aut in proprii animi culturam aut in proxmorium utilitatem cessura esse cognoscuntur.

---

[1]) Job. 10. 22.

7. Ubi tempus prandii venerit, sumat cibum cum sobrietate; sicut sacerdotem addecet, nec sit e numero eorum qui ita ventre ducuntur, ut velint in præparandis ferculis, (quæ primo jam mane ab ipsis imperantur) totam familiam occupatam, quique, quoties cibus minus jucunde sapit, in tantas prorumpunt querimonias ut pax domus inde tota turbetur. Nullus unquam gulosus, inquiebat S. Philippus Nerius, vitæ sanctitatem sibi comparabit. In potu autem multo major sobrietas quam in cibo requiritur, cum immoderatus potus vitam spiritualem et maxime castitatem in majus periculum quam nimius cibus inducat. Nec omittat sacerdos, diebus sabbati, jejunium in honorem Deiparæ Virginis servare. Quod si jejunium cum pane solo et aqua tolerare nequeat, aut solitum servet jejunium, aut unico saltem contentus sit ferculo. Præterea, uno alterove inter hebdomadam die, v. g. feria quarta et sexta, sicut et novem continuis diebus qui præcipua Deiparæ Festa antecedunt, aliquid de solito victu sibi subtrahere non omittat.

8. Pomeridiano dein tempore, post brevem meridiationem, recitabit Vesperas et

Digitized by Google

Completorium, postea per semihoram lectioni spirituali vacabit. Hanc instituere poterit vel in opere cui titulus est: *Ærarium vitæ Christianæ,* auctore P. Saint-Jure, vel in opere Patris Rodriguez quod *De perfectione religiosa* inscribitur (utrumque enim opus pietate et spirituali unctione redundat), vel in aliis hujusmodi operibus; nec vero sibi habeat quidquam antiquius quam ut perlegat vitas Sanctorum e. gr. vitas S. Philippi Nerii, S. Francisci de Borgia, S. Petri ab Alcantara, et alias hisce similes. In cæteris enim spiritualibus libris nonnisi theoretice de virtutibus disseritur, in vitis autem Sanctorum palam fit quo modo Sancti virtutum præcepta actu perfecerint; quod utique multo efficacius ad imitationis studium impellit. Atque hoc in causa fuit cur S. Philippus Nerius discipulos suos jugiter ad legendas vitas Sanctorum sit adhortatus. Et sane hujusmodi lectio fuit plurimis Sanctis præcipuum incitamentum et calcar, ut se totos Deo traderent. Sat hic erit nominasse S. Joannem Columbinum, S. Ignatium de Loyola, et S. Teresiam.

9. Post spiritualem lectionem con-

Digitized by Google

ferat se sacerdos in ecclesiam ad Sanctissimum salutandum Eucharistiæ Sacramentum. Reperire est multos sæculares, qui nullis curis, nullis negotiis præpediuntur quominus quotidianæ hujus salutationis officio satisfaciant. Ad sacerdotes autem quod attinet, sunt pauci, imo paucissimi quos idem facere delectet! Fatendum est utique, Jesum Christum nimis male a suis ministris tractari. Sic autem ab eis tractatur, quia parum amatur. Si quis suum amicum vere diligit, flagrat studio eum, quam potest sæpissime, salutandi; præsertim si suas salutationes amico valde gratas esse cognoscit.

Jam vero, sub nomine salutationis Ss. Sacramenti, minus intelligenda est oscitans quædam, licet pluries coram Altari iterata, orationis Dominicæ recitatio, quam intimum illud cum Jesu Christo colloquium, quod per notabile temporis spatium protrahitur, quodque in hoc potissimum transigitur ut devotus salutator actus charitatis eliciat, atque omnes, quibus indiget, gratias sibi exoret, et maxime donum divini amoris sicut et donum perseverandi in bono usque ad finem.

Digitized by Google

Ecquis, o bone Deus! sæpius Jesum convenire debet ac diutius cum eo conversari, quam sacerdos qui eum singulis diebus e cœlis in terram arcessit, qui suis eum manibus attrectat, sacrosanctis ejus carnibus vescitur, et qui insuper ad propriam utilitatem eum in sacrum Ciborium reponit, ut ita prædulci ejus præsentia, quotiescunque voluerit, perfruatur?

Salutato SS. Sacramento, consalutet etiam, in eadem Ecclesia, Beatam Virginem Mariam, et quidem in illa imagine quam majori pietatis affectu veneratur.

10. Facta utraque salutatione, poterit brevem deambulationem instituere, sive in aliqua villa, sive in aliquo solitario loco, cum alio sacerdote piove socio, quocum animi relaxandi gratia paulisper colloquatur, non quidem de rebus profanis, sed de rebus quæ ad Dei famulatum pertinent. Deficiente autem hujusmodi socio, deambulet solus; alioquin, si mundanum sibi comitem adjungat, futurum est, ut quidquid mentis recollectionis per spiritualia exercitia sibi comparavit, illico disperdat. Præstaret vero, si alicui de re Morali disputationi interveniendi esset op-

portunitas, eidem intervenire; sic enim non parva utilitas ipsi animi relaxationi admisceretur.

11. Hoc etiam optandum est ut, sub vesperum, altera semihora orationi mentali impendatur. Optimum autem foret, si sacerdos hanc meditationem in communi cum tota familia institueret, perlegendo ipse meditanda puncta et terminando meditationem cum actibus christianis. Inde recitet Matutinum cum Laudibus, et, post alteram in studiis transactam horam, tertiam, cum tota quoque familia, partem Rosarii, enuncians ipse consideranda Mysteria, et adjungens in fine Litanias Lauretanas.

12. His peractis, eat cœnatum. Sit autem cœna prandio adhuc parcior. Si enim intemperanter cœnaret, postridie mane, inter multa illa quæ peragenda sunt pietatis exercitia, inter meditationem, Missæ celebrationem, auditionem confessionum, non parum stomacho et capite laboraret, epulisque quasi sopitus, omnibus suis officiis non solum repugnanter verum etiam oscitanter, et ideo modo propemodum infructuoso, fungeretur.

Digitized by Google

13. Cœnam excipiat examen conscientiæ: quo peracto, eliciat actum contritionis et alios pios actus; et, postquam pronus in terra ter Ave ad Beatam Virginem dixerit, cæteraque pietatis exercitia in honorem sanctorum suorum Patronorum absolverit, ad nocturnam tandem quietem se recipiat.

14. Atque hæc est tota quotidianorum exercitiorum summa. Id etiam curæ sit sacerdoti ut bis in hebdomade aut saltem semel culpas suas confiteatur, nec omittat in peculiarem conscientiæ moderatorem sibi deligere pium aliquem et doctum confessarium, e cujus nutu totus pendeat, non solum in iis quæ ad spiritualia exercitia spectant, sed in illis etiam quæ pertinent ad negotia temporalia, in quantum nempe hæc temporalia spiritualibus prodesse vel obesse possunt. Unum præterea diem in sacro secessu quovis mense transigat; et hoc quidem die, curis omnibus terrenis solutus, exclusis etiam illis quæ ad sanctificationem proximorum se referunt, vivat omnino solitarius vel in proprio suo conclavi, vel in aliquo monasterio; vacando sibi soli in silentio et transigendo diem

Digitized by Google

integrum in sanctis meditationibus, piis lectionibus, in SS. Sacramenti salutationibus, aliisque id genus pietatis exercitiis. O quantum convalescit mens sacerdotis, qui in sacrum recessum se recipit, et quantum confortatur ad arctius se conjungendum cum Deo et velocius progrediendum in via sanctitatis!

15. Tempore tentationis, præsertim contra castitatem, renovet propositum millies potius moriendi quam peccandi in Deum, et ideo abjecta omni mora confugiat, implorandi auxilii gratia, ad Jesum et Mariam, ingeminetque tamdiu sacrosancta eorum nomina, quamdiu tentationis æstus non deferbuerit. Curet etiam ut talari semper veste, a qua omnis elegantia excludatur, indutus incedat. Fugiat convivia, mundanos congressus, sæcularium confabulationes, illosque maxime circulos quibus intervenire solent feminæ.

### § 2. Norma assequendæ perfectionis.

1. Sacerdotis, qui perfectionis sanctitatisque desiderio tenetur, potissima cura sit nullo unquam coinquinari peccato; ita quidem ut vel levissimum peccatum morte

Digitized by Google

pejus fugiat. Est quidem tanta humanæ naturæ fragilitas ut nullus hominum possit neque unquam potuerit (si Christus Jesus ejusque sanctissima Mater excipiuntur) præservare se ab omnibus, indeliberatis scilicet, peccatis immunem. At si omnimoda a peccatis immunitas in præsenti rerum statu haberi nequit, fieri tamen potest ut, cum divinæ gratiæ auxilio, omnes et singulas deliberatas culpas vitemus, id est, omnes culpas quæ cum plena mentis advertentia plenoque voluntatis consensu admittuntur. Et sane Sancti in hujusmodi immunitate vixerunt. Proinde, perfectionis quisque studiosus debet in hoc se mentis decreto confirmare, ut se potius in frusta concisum velit, quam ut scienter aliquod dicat mendacium, aliumve, utut levem, contrahat culpæ reatum.

2. Quamvis autem in hujusmodi proposito semper perstandum sit, caveat tamen sacerdos, si infeliciter in aliquam, sive deliberatam, sive indeliberatam culpam prolabatur, ne mente inde turbetur neve inquietudini indulgeat. Inquietudo enim nunquam venit a Deo. Exsurgit iste fumus a sede perturbationis, id est, ab in-

Digitized by Google

feris; et injicitur a diabolo, qui, sicut sapienter dicere solebat S. Aloysius Gonzaga, in aqua turbida semper reperit quod piscetur. Evenit v. gr. ut in culpam quis incidat: si mente inde turbatur et postea de ipso turbamento perturbatur, deveniet in talem inquietudinis statum, ut non modo ad recte agendum ineptus fiat, verum etiam conjiciatur in periculum multimodis peccandi, puta per actus impatientiæ aliosve id genus actus. Quamobrem, ubi prima culpa admissa est, debet reus demisse de se sentire et ad Deum confugere. Eliciat actum amoris vel contritionis, renovet propositum sese emendandi, et, implorato cum fiducia divino auxilio, his ad Deum verbis utatur: En quid possim ego, Domine, et nisi tu manu tua me teneas, ruam in pejus. Amo te, et doleo quod tibi displicui; nolo amplius tibi in posterum displicere. Adjuva me, qui omnem meam spem in te repono. His autem ad Deum usus verbis, faciat sibi pacem, perinde ac si non deliquisset. Quod si iterum delinquat, sectetur eamdem agendi rationem; et si eodem die centies in eamdem culpam relabatur, centies idem

Digitized by Google

faciat: humiliet se post singulos lapsus, utaturque tanta in se erigendo festinatione ut ne ad brevissimum quidem tempus humi dejectus remaneat. Et hic quidem agendi modus eo constantius tenendus est, quod perturbatio, quam commissa culpa animo injicit, minime ex humilitate sed ex superbia enascitur; animus enim minus ex Deo irrogata offensa turbatur quam ex sensu pudoris, quo afficitur cum culpæ macula fœdatus divinæ se Majestati sistit. Caveat igitur sacerdos ne unquam ob admissas culpas in mentis agitationem deveniat; post culpam humiliet se coram Deo, confitendo se ad malum adeo proclivem, ut non solum in jam admissa, sed in multa alia incurrere possit delicta; postea eliciat actum amoris in Deum, sicque ad pristinam animi tranquillitatem reverti conetur. Si ita se gerit, commissæ culpæ nihil damni ei afferent, imo in causa erunt cur arctius cum Deo conjungatur, juxta hæc Apostoli verba: *Omnia cooperantur in bonum*[1]), etiam peccata, ut subdit Glossa.

[1]) Rom. 8. 28.

Digitized by Google

3. Perpetuum ei insit desiderium faciendi novos in Dei amore progressus. Nolle in perfectione (quæ tota in Dei amore consistit) progredi idem est ac velle in ea regredi, juxta hanc D. Augustini sententiam: *non progredi reverti est.* Qui adverso flumine navigat, nisi fluctibus fortiter obsistit, fluminis impetu mox retropellitur. Atque hoc idem accidit nobis, quibus jugiter adversus concupiscentiam carnis pugnandum est. Jamvero sancta desideria imminuunt pugnæ laborem, et reddunt progressus in via perfectionis faciliores. Hæc autem desideria firma sint oportet atque efficacia, id est talia ut actu revera, quoad ejus fieri potest, perficiantur; nec proinde sint similia votis eorum qui hæc hisve similia iterare solent: Si mihi non essent fratres aut nepotes, o quantum me juvaret vitam religiosam amplecti! si robustiori valetudine gauderem, agerem mecum austerius. Nec vero ullum interea gradum faciunt, ut in via perfectionis progrediantur; relabuntur in easdem semper culpas, fovent eosdem semper affectus, nutriunt eadem odia, et sic in dies pejores fieri conspiciuntur. Sic igitur

Digitized by Google

desiderandus est in divino amore progressus, ut viæ etiam, quæ ad eum conducunt, fidenti animo ineantur; fidenti, inquam, animo, qui non propriis viribus, sed solius Dei auxilio innitatur: qui enim sibi confidit, is Dei adjutorio destituitur.

4. Præterea, qui in perfectione progredi cupit, debet esse tum Passioni Christi Domini, tum SS. Eucharistiæ Sacramento devotissimus. Qui geminum hoc divinæ charitatis mysterium pie secum considerat, voluisse nempe Deum obire mortem et seipsum dare nobis in cibum, nobis, suis creaturis ac terræ vermiculis, ut ita nostrum sibi amorem conciliaret, is non poterit quin Jesu Christi amore totus ardeat. *Charitas Christi urget nos,*[1]) inquit Apostolus. Scilicet, qui Christi amorem pie meditatur, is ad eum redamandum quodammodo constringitur. *Vulnera quippe Christi sunt,* inquit S. Bonaventura, *vulnera corda saxea vulnerantia, et mentes congelatas inflammantia.* Et cum sic res se habeat, non omittat sacerdos semihoram quotidie in meditandis mysteriis

[1]) II. Cor. 5. 14.

Dominicæ Passionis transigere, et multos per diem actus amoris in Jesum Christum elicere, incipiens horum actuum seriem summo mane, statim ac fuerit e somno expergefactus, et concludens eam sera nocte, ita quidem ut inter eliciendum actum amoris obdormiscat. Dicebat S. Teresia hos actus esse materiam, quæ charitatis flammam conservet ac nutriat. Inter eos porro speciali titulo recensenda est, utpote Deo acceptissima, oblatio sui ipsius, qua quis nimirum totum se Deo mancipat, exhibendo se paratum ad faciendum et patiendum quidquid illi placuerit. Solebat S. Teresia hanc sui oblationem saltem quinquagies quotidie renovare.

5. Illud etiam curet sacerdos ut in singulis suis actibus intentionem recte dirigat, faciendo quidquid operatur eo solo fine ut Deo placeat. Dicunt spiritualis vitæ Magistri, rectam intentionem esse quamdam alchimiam, quæ varias nostras actiones, ne illis quidem exceptis, quæ ad corporale levamen spectant, (quales sunt dormitio, manducatio, animi relaxatio) in cœleste aurum transformet. Recta autem hæc intentio multo magis requiri-

Digitized by Google

tur in operibus mere spiritualibus, ita scilicet ut hæc Deo soli placendi causa peragantur, minime vero ut nostris inde commodis serviatur, nostræve famæ consulatur, aut proprio ingenio indulgeatur; alioquin omnis opera foret inanis, neque ulla operantem præmia, sed potius pœnæ manerent. Atque hinc est, cur omnia quæ facimus, ad arbitrium ac nutum nostrorum moderatorum facienda sint; alioquin nulla est securitas nos, Deo soli placendi causa, opera nostra peragere.

6. Sit præterea sacerdos amans solitudinis ac silentii. Qui multum cum hominibus conversatur, is, quantacumque utatur cautela, difficile omnem culpam declinabit, quia *in multiloquio non deerit peccatum.*[1]) Contra: *In silentio et in spe erit fortitudo vestra,*[2]) inquit Isaias. Quasi dicat: fortis illa strenuitas, qua tentationum impetus repelluntur, profluit ex fiducia in Deo et ex fuga commercii cum creaturis. Præterea qui multum cum hominibus confabulatur, is parum colloquitur cum Deo, qui tantummodo in solitudine animas fa-

[1]) Prov. 10. 19. — [2]) Is. 30. 15.



Digitized by Google

miliariter alloquitur, teste S. Hieronymo, qui sic exclamat: *O solitudo, in qua Deus cum hominibus familiariter loquitur et conversatur!* Et jam ante Hieronymum Deus ipse hoc edixerat, affirmate promittens in locis desertis se nobiscum esse collocuturum: *Ducam eam* (id est alloquendam animam) *in solitudinem et loquar ad cor ejus.*[1]) Atque hinc est quare quotquot sunt Dei amantes animæ, locis desertis unice delectentur. Abstrudebant se Sancti in densas silvas, in horridissimisque specubus vivebant, quia sic futurum esse sperabant ut, nullo amplius terrestrium rerum strepitu perturbati, soli cum Deo solo familiariter colloquerentur. Nec vana eos spes alliciebat. Solitudo enim ac silentium constringunt quodammodo hominem, ut de Deo solo cogitet, juxta notissimam istam D. Bernardi sententiam: *Silentium et a strepitu quies cogit cælestia meditari.*

7. Nec tamen in perpetua taciturnitate reponenda est virtus silentii, sed in illa loquendi moderatione, quæ omnem excludat loquacitatem et nonnisi ad utiles in-

---

[1]) Os. 2. 14.

Digitized by Google

stituendos sermones inducat; ita quidem ut sacerdos sileat cum silendum est, sed cum loquendum est tunc etiam loquatur. Ipsi porro loquendum est vel de Deo, vel de rebus quæ ad divinam gloriam spiritualemve proximorum utilitatem spectant. Quam sæpe evenisse visum est, ut breve aliquod et familiare de rebus divinis colloquium copiosiores fructus ferret quam longæ ac multæ e sacro pulpito habitæ conciones. Curet proinde sacerdos, ut omnibus, etiam communibus suis sermonibus spiritualia quædam verba admisceat, concludendo eos aliqua sententia, quæ ad veritates æternas ad Deive amorem sese referat. Amico quid magis in votis est, quam de suo amico loqui, aliosque de eo loquentes audire? Et sic pariter amicus Dei de solo Deo loquitur, neque in aliis quam qui de Deo instituuntur sermonibus sese oblectat.

8. Consistit præprimis Dei amor in arcta voluntatis nostræ cum divina voluntate conjunctione, in iis maxime rebus quæ nobis naturaliter magis displicent, quales sunt infirma valetudo, paupertas, humiliationes, persecutiones, spiritualis

Digitized by Google

ariditas. Hoc pro certo ponendum est. universa, quæ a Deo emanant in nostram cessura esse utilitatem. Cum enim nemo sit nostri Deo amantior, omnis ejus operatio eo collineat ut nostris commodis utilitatique consulatur. Quamobrem, quicumque casus inciderit, si vero sanctitatis studio tenemur, in hæc illico verba prorumpamus: *Fiat voluntas tua! Sit nomen Domini benedictum! Domine, quid me vis facere? Sicut Domino placuit, ita factum est. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Nec solum ita loquamur, sed omni etiam ope adnitamur ut, inter prospera æque atque adversa, in perpetua pace et in placida illa omnibusque Sanctis tam chara animi tranquillitate permaneamus, dicentes assidue: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Verus Dei amator, inquit præclarus ille Dei famulus, Petruccius cardinalis, vivit in tam intima cum Deo conjunctione ut, sibi semper æqualis, nullo unquam casu commoveatur, juxta hanc Spiritus sancti sententiam: *non contristabit justum quidquid ei acciderit.*[1] Quare caveat

[1] Prov. 12. 21.

Dei amans sacerdos ne unquam mœstitiæ indulgeat. De solo peccato admittenda est mœstitia; sed et hæc mœstitia, sicut supra diximus, debet esse quieta, ita ut pacem, minime vero perturbationem menti inferat.

9. Insit sacerdoti crebrum Paradisi desiderium atque idcirco crebrum desiderium mortis, ut ita quam primum in cœlum migrare possit, ubi Jesum totis viribus per omnem æternitatem, sine ullo eum iterum perdendi periculo, amaturus est. Interim vero sit totus Dei, neque ullam rem quam magis ei gratam esse cognoverit, exsequi prætermittat. Quare in eam jugiter excubet curam ut, quidquid non est Deus nec ad Deum collineat, ex suo corde expellat.

10. Illud etiam curet, ut Deiparæ Virgini magnopere confidat magnoque eam pietatis affectu prosequatur. Omnes Sancti vixerunt piæ huic Matri addictissimi eamque, tanquam filii propriam parentem, suavissimo amore dilexerunt. Quamobrem nullum diem transigat, quin aliquid legat vel de ejus laudibus, vel de grandi fiducia, quæ in præpotenti ejus patrocinio collocanda est; servet in ejus honorem, quam

Digitized by Google

optime poterit, jejunium die Sabbati; et intra novem dies, qui principaliora ejus festa antecedunt, abstineat se quotidie ab aliquo cibo, huicque abstinentiæ aliquam aliam mortificationem adjungat; sistat se quotidie semel vel pluries alicui ex ejus Imaginibus, coram qua pie eam et amanter salutet; loquatur, omni nata occasione, de magna in ejus patrocinio reponenda fiducia; quovis sabbato habeat ad populum, quoad ejus fieri poterit, brevem aliquam concionem, qua dilectæ Matris cultum promoveat neque unquam prædicationis munere fungatur, quin e sacro pulpito specialem de ea mentionem ingerat, proferendo saltem sanctissimum ejus nomen. Quid plura? utatur omni diligentia ad reddendos suos auditores, pœnitentes, omnesque quibuscum convivit, Virgini Deiparæ devotos. Quo ardentius quis Mariam amat, eo ardentius et Deum amabit, quia amans Mater cultores suos ad Deum allicit. *Quia tota ardens fuit,* inquit S. Bonaventura, *omnes se amantes incendit, et sibi assimilat.*

11. Curet præterea, ut sit humilis corde. Sunt bene multi, qui ore quidem non autem

Digitized by Google

corde sunt humiles. Ore enim sceleratos ac millenis se dignos esse inferis prædicant; sed volunt anteponi cæteris, volunt æstimari, laudibus extolli, et ubi desunt qui eos laudent, ipsi gloriose de se loquuntur, ambiunt altiora munera, sunt proni offensioni, ita ut vel levissimo convicio stomachentur. Non sic se gerunt qui sunt vere humiles corde. Hi nunquam de suis animi dotibus loquuntur, nec de suorum natalium claritate, nec de suis divitiis, nec de ulla re, quæ in propriam laudem vergat. Ambiat itaque sacerdos humilia illa officia et munera, quæ nullius momenti sunt in oculis hominum; excipiat omnes quibus afficitur contumelias animo æquo, imo gaudenti et libenti, ita scilicet ut mente in eis sese oblectet, recogitans se per eas aliquam consequi similitudinem cum Christo Domino, qui saturatus fuit opprobriis. Quod si propter aliquam offensionem animo commovetur, vim sibi ipse inferat, ne quid tunc dicat agatve, tametsi altioris ipse sit gradus quam qui injuriam intulit, atque idcirco officii sui esse videatur in contumeliosum animadvertere. Servet in hujusmodi rerum adjunctis prudens

Digitized by Google

silentium, procrastinando reprehensionem donec fuerit ad pristinam mentis serenitatem reversus; alioquin ad fumum, quem mentis commotio excitaverit, omnino caligabit; et tantum abest, ut suo tunc munere recte fungatur, ut contra certo periculo se committat, tum dictis tum factis æquitatis modum excedendi. Adde quod reprehensio, cui mentis commotio admiscetur, fructu suo plerumque caret. Non enim excipitur a subdito tanquam justa reprehensio, sed tanquam motus iracundiæ, et sic parum aut nihil juvabit. Omittenda est pariter reprehensio, si subditus mente agitari conspicitur. Sileat tunc Superior et exspectet, donec agitationis fluctus consederint; alioquin reus recalcitrabit, et turbulento animi motu concitatus in majorem deveniet excandescentiam.

Illud etiam cordi sit sacerdoti, ut omnibus omnem quam poterit, opem ferat, et inprimis ut illis benefaciat, qui sibi malefecerunt: is est enim modus, quo Sancti se ulcisci solent.

12. Attendat præterea mortificationi tam internæ quam externæ; utraque enim pernecessaria est, nec per aliam viam ad

Digitized by Google

sanctitatem perveniri potest, dicente Domino: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.*[1]) Mortificationis internæ officium est vincere seipsum, id est, ita imperare propriis cupiditatibus, ut ab universis rebus, quæ ad solius naturæ oblectamentum spectant, omnino et jugiter abstineatur. Quare abstineat se sacerdos a cunctis actibus, qui solum ad explendam curiositatem vel ambitionem valeant, a cunctis actibus, quibus proprio duntaxat ingenio indulgeatur. Sed et externæ mortificationi addictus sit oportet, jejunio nimirum, abstinentiis, sui ipsius flagellationibus, aliisque id genus pœnitentiis. Omnes Sancti mortificationis studio tenebantur, ideoque omnes corpora sua, quantum poterant, affligebant, id est, quantum per obedientiam iis licebat: Obedientia enim est Sanctorum lex ac regula. Quodsi corporis afflictationes ob infirmam valetudinem omittendæ esse videantur, studeat saltem varios invaletudinis dolores et incommoda amanter amplecti, perferendo ea patienter ac quiete, quin ea citra neces-

[1]) Matth. 16. 24.

Digitized by Google

sitatem aliis manifestet, et de famulorum medicorumve incuria unquam conqueratur.

13. Commendet se jugiter Deo, sitque in precando assiduus. Sicut fumus, ita evanescunt nostra proposita ac promissa, ubi a precando desistimus. Deficiente enim precatione, deficit divinum auxilium, quo solo salutaria nostræ mentis decreta effectu complere valemus. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo.*[1]) Oportet, ut os ad Dominum semper apertum teneamus, inclamantes jugiter: *Adjuva me, Domine, et miserere mei*, tribue mihi misericordiam. Sic egerunt Sancti, et sic agendo sancti facti sunt. Potissima autem cura sit in efflagitando a Jesu Christo magnum amoris donum. In hoc dono, aiebat S. Franciscus Salesius, includuntur omnia alia dona; quia verus Dei amator sedulo declinat, quidquid Deo displicet, et quidquid ei gratum esse cognoscit, id peramanter amplectitur. Efflagitemus etiam sine ulla intermissione gratiam quam maxime confidendi Passioni Jesu Christi et intercessioni Mariæ; nec prætermittamus

[1]) Is. 28. 14.

Digitized by Google

Deo jugiter commendare miseros peccatores et animas quæ in Purgatorio detinentur; sunt enim hæ precationes Deo acceptissimæ.

## § 3. Sententiæ tenendæ.

Præstat rebus omnibus, quam Deo orbari.

Displiceam toti humano generi, potius quam Deo.

Solum peccatum timendum est, de eoque solo dolendum.

Præstat mori quam scienter vel leviter pèccare.

Terrena omnia habebunt finem.

Mundus est scena, quæ brevi evanescit.

In singulis temporis punctis continetur æternus thesaurus.

Quidquid Deo placet est bonum.

Elige quæ in hora mortis fecisse avebis.

Vive perinde, àc si esses in terra solus cum Deo solo.

Solus Deus reddit hominem contentum.

Non est aliud bonum nisi Deus, non aliud malum nisi pcccatum.

Nihil faciendum est ad meram sui oblectationem.

Digitized by Google

Qui studiosius in hac vita se mortificaverit, plenius in altera gaudebit.

Dei amatoribus dulcia amarescunt et dulcescunt amara.

Qui nihil avet nisi quod vult Deus, hujus desideria semper explentur.

Voluntas Dei mitigat omnem amaritudinem.

Tempore ægrotationis innotescit, quo spiritu ducamur.

Cui nihil terrenum in votis est, huic nihil deest.

Ne procrastines boni propositi exsecutionem, nisi velis in via perfectionis retrogradi.

Perturbari ex admissis culpis non est humilitas, sed superbia.

Quales coram Deo sumus, tales reipsa sumus.

Amatori Dei plus amor quam scientia in votis est.

Qui appetit sanctitatem, debet ex suo corde pellere, quidquid non est Deus.

Non est totus Dei, qui præter Deum aliquid sibi desiderat.

Tribulatio, egestas, humiliatio fuerunt sociæ Jesu: sint et ipsæ sociæ nostræ.

Digitized by Google

Nulla mentis agitatio, etiam ob bonum finem excitata, venit a Deo.

Vir humilis reputat se omni honore indignum, dignum autem omni contemptu.

Qui de inferno quem sibi promeruit cogitat, sustinet quietus quamlibet pœnam.

Obliviscere tui, et memor tui erit Deus.

Ama contemni, et invenies Deum.

Qui bono minori contentus est, parum abest a malo.

Parvi a Deo æstimatur, qui cupidus est famæ.

Sancti semper loquuntur de Deo cum amore, de se cum humilitate, de proximis cum benignitate.

Curiosus vivit in perpetua mentis evagatione.

Væ diligenti sanitatem plus quam sanctitatem.

Diabolus est otiosorum venator.

Diabolus habet sacerdotem vanum quasi pilam lusoriam.

Qui vult quieta mente consistere, frangat omnes suas cupiditates.

Dei famulus est parcus in sermone, indefessus in labore, invictus a dolore. Ita S. Josephus Calasanctius.

Digitized by Google

Sancti enituntur ut sint sancti, non autem ut tales compareant.

Qui parum orationi vacat, nunquam ad altum gradum perfectionis perveniet.

Esto primum concha ad recipiendum, dein canalis ad effundendum.

Omnis terrenus affectus præpedit quominus homo sit totus Dei.

Sacerdos non debet attendere nisi ad Jesum et ad illa, quæ placita sunt Jesu.


In præclaris operibus latitat sæpe superbia.

Egregie ad sacram communionem se præparat, qui se Deo totum offert.

Inter eundum per loca habitata tene oculos demissos, recogitans te esse sacerdotem, non autem pictorem.



Digitized by Google




# PARS SECUNDA.

## Exercitia pietatis ad quotidianæ vitæ ordinem spectantia.

### 1. Preces matutinæ.

Actus christiani.

In nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen.

(Indulg. 50 dierum *toties quoties;* 100 dierum, si quis cum aqua lustrali se signat. Pius PP. IX. 26. Juli 1863 et 23. Mart. 1866.)

Mi Deus, adoro te; adoro te sacrosanctam Trinitatem, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, te Deum in Personis trinum et unum in essentia. Humilio me in conspectu altissimæ Majestatis tuæ, et in nihilum mei abyssi me ipse demitto.

Quia verax es, credo firmiter quidquid mihi per sacram Scripturam et sanctam Ecclesiam credendum proponis, sumque paratus millies pro mea Fide obire mortem.



Digitized by Google

In te spem meam omnem repono. Cuncta, sive spiritualia sive temporalia bona, quæ in hac et in altera vita spero, per merita Jesu Christi a te solo exspecto, mi Deus, qui es mea vita et spes mea unica.

Mi Deus, quia es Bonitas infinita et omni amore dignissimus, amo te ex toto corde meo et ex tota anima mea. Quantum te amant Angeli, quantum te amant omnes Sancti et omnes Justi, tantum amare te cupio, et ideo conjungo tepidum meum amorem cum amore illo flagrantissimo, quo in te ardent Cœlites, Maria sanctissima ipseque Christus Jesus, et quo per omnem æternitatem in te ardebunt.

Mi Deus, quia summum Bonum es, summe amabilis, summe amandus et summe colendus, pœnitet me omnium, quæ hucusque commisi peccatorum. Hæc mihi plus quam quælibet alia mala displicent, de iisque, quantum possum, doleo. Firmum est mihi potius mori quam aliquid in posterum facere quo vel leviter me tibi displiciturum esse cognovero.

Offero tibi ac trado in perpetuum corpus meum meamque animam, corpus quidem cum suis sensibus, animam autem cum

Digitized by Google

suis potentiis, cum memoria, intellectu et voluntate. Dispone de me et de rebus meis omnibus, utcumque tibi placuerit. Da mihi amorem tui in tuaque gratia perseverantiam, cum illa vigilantia, quæ me, irruente aliquà tentatione, excitet ut prompte ad te recurram.

Propono mihi, omnem operam insumere in exsequendis illis rebus quæ tibi sunt placitæ, paratus molesta quæque atque ardua perferre, ut tibi complaceam, voloque hæc semper iterare verba: *Domine, fiat voluntas tua.*

Cupio videre totum genus humanum tuo famulatui tuoque amori addictum; nec quidpiam mihi foret optabilius quam illa sola curare, quibus omnes, qui in terra sunt, homines ad tuæ Majestatis famulatum amoremque allicerentur. Offero in perpetuum tuæ Majestati universa mea opera, hæcque, Redemptoris mei Jesu Christi cruore conspersa, tibi sisto.

Animo intendo lucrari omnes, quas per hodiernos actus lucrari possum, indulgentias; hosque applicare intendo per modum suffragii animabus, quæ in purgatorio expiantur. Omnes has animas tibi com-



Digitized by Google

mendo, omnesque pariter peccatores quibus lumen, precor, et robur infundas, ut in tui cognitionem atque amorem deveniant.

Lætor et compleor gaudio, quod infinite beatus es, et quod beatitudo tua nullum habitura est finem. Gratias tibi ago pro universis in homines unquam collatis beneficiis, sed præsertim pro illis, quæ in me omnium maxime ingratum conferre dignatus es.

O bone Jesu, in tuas me plagas recipio. Tu ibi tutare me hodie et semper ab omnibus tentationibus, donec salvus tandem in cœlum recipiar, ad contemplandum te, teque per omnem æternitatem amandum. Amen. Sic spero, sic fiat.

## Oratio ad petendas sanctas virtutes.

Mi Deus, ante omnia precor te per merita Jesu Christi, ut sancta luce tua meam mentem collustres. Fac inspiciam rerum terrestrium vanitatem; fac intelligam, mihi non esse aliud bonum quam amare te, summum atque infinitum Bonum. Fac cognoscam quam vilis sim ego, tu vero quam dignus, qui ab omnibus ameris, et maxime a me, quem tanto amore pro-

Digitized by Google

secutus es. Tribue mihi sanctam humilitatem, illam scilicet humilitatem, quæ me faciat gaudenter amplecti omnes hominum contemptus. Largire mihi magnum de meis peccatis dolorem. Concede mihi verum christianæ mortificationis studium, ita ut animi mei cupiditates semper coërceam et rebelles meos sensus jugiter refrenem. Da mihi cultum sanctæ obedientiæ, quæ me faciat iis qui mihi præsunt, morem in omnibus gerere. Da mihi gratiam faciendi cuncta mea opera eo solo fine, ut tibi placeam. Da mihi perfectam corporis et mentis puritatem, atque omnimodam disjunctionem a rebus illis omnibus, quæ ad tui amorem non collineant. Da mihi vividam in Christi Jesu Passione, inque Virginis Deiparæ intercessione fiduciam. Sed, præ omnibus, largire mihi magnum amorem tui, cujus amoris inductu, perfecte, omni in re ad tuam voluntatem me conformem. Fac in tuo amore me quotidie progredi, fac me tuo cordi jugiter concordem; fac tandem me tibi soli vivere, tibi qui es Deus meus, meus thesaurus, amor meus, mea omnia.

Digitized by Google

### * Oratio S. Thomæ Aquinatis.

Concede nobis, quæso, misericors Deus, quæ tibi sunt placita, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte implere ad laudem et gloriam nominis tui. Amen.

(Indulg. 300 dier., ante lectionem vel studium. Leo PP. XIII. 21. Junii 1879.)

### * Oratio ad B. Virginem Mariam.

O Domina mea, o Mater mea, tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

O Domina mea! O Mater mea! Memento, me esse tuum. Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam. *Ave Maria.*

(Indulg. 100 dier. semel in die; plen. die arbitrario cujusvis mensis † si quotidie recitetur. Pius PP. IX. 5. Aug. 1851.)

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a sæculo quemquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum.

Ego tali animatus confidentia, ad te, Virgo Virginum Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto; noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

(Indulg. 300 dierum toties quoties; si quotidie recitetur[1]), plenaria semel in mense †, die arbitrario. Pius PP. IX. 25. Jul. 1846.)

Dulce Cor Mariæ, esto salus mea.

(Indulg. 300 dierum t. q.; plen. semel in mense †, si quotidie recitetur. Pius PP. IX. 30. Sept. 1852.)

Ter *Ave Maria* in honorem puritatis B. Virginis, ad custodiam castitatis.

### * Oratio ad S. Josephum.

Præpotens patrone, Beate Joseph, per promptum illud obsequium, quod Dei voluntati in omnibus exhibuisti, precor te, ut mihi a tuo Jesu gratiam impetres perfecte obsequendi omnibus divinis præceptis. Obtine animæ meæ, quæ inter tot hostes pergit ad domum æternitatis suæ,

---

[1]) Juvat hic notare, requiri, ad lucrandas indulgentias plenarias confessionem, communionem et pias ad mentem Sanctitatis Suæ preces, pro bono Ecclesiæ, etc. — Ubi vero occurrit signum †, indicatur visitandam esse insuper aliquam ecclesiam vel publicum aliquod oratorium, ubi prædictæ preces fundantur.

Digitized by Google

ut in longa sua peregrinatione, sed præsertim in extremo mortis articulo, Jesu ac Mariæ comitatu perfruatur. Si enim fuero hoc comitatu dignatus, dulcescent mihi omnes hujus vitæ labores, ipsaque mors mihi grata erit et jucunda.

Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam.
Sitque tuo semper tuta patrocinio.

(Indulg. 300 dierum semel in die. Leo PP. XIII 18. Mart. 1882.)

### * Brevis oratio ad S. Angelum custodem.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

(Indulg. 100 dierum t. q.; plen. die arbitrario cujusvis mensis †, si quotidie recitetur. Pius PP. VII. 15. Maji 1821.)

## 2. Meditationes.

*Monitum.* Cum suum quisque sacerdos meditationum librum habeat, satis esse censemus ex operibus S. Alphonsi excerpsisse septem meditationes, quæ et piæ considerationis materiam et pium cum Deo colloquendi argumentum suppeditabunt, cum solitus liber desideratur.

Digitized by Google

Qui quotidie orationi mentali per semihoram aut saltem quadrantem vacat, potest sub consuetis conditionibus, semel in mense, die arbitrario, indulgentiam plenariam lucrari.

### Meditatio prima.

### De sacerdotis fine.

Considera, sacerdos, et perpende qualis tibi finis consequendus proponatur. Deus vult omnes homines salvos fieri; sed illud est in ejus decretis, ut alii per alias vias ad æternam salutem perveniant. Quemadmodum ipse varios in cœlis gloriæ gradus constituit, ita et in terra varias instituit conditiones vitæ, quæ essent quasi totidem semitæ, per quas in beatam æternitatem iretur.

Inter has autem vitæ conditiones, omnium nobilissima atque altissima est status sacerdotalis, ob sublimem scilicet finem, qui ei præstitutus est. Quis est hic finis? Ex Christi institutione, sacerdotium eo spectat, ut sint in terra homines qui, vi publici muneris, assidue in persolvendis Deo laudibus, in gerendis divinæ gloriæ negotiis et in procuranda animarum salute versentur. *Omnis namque Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*

Digitized by Google

*in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant et errant.*[1]) *Fungi sacerdotio et habere laudem;*[2]) id est, inquit Hugo cardinalis, *habere officium laudandi Deum.* Etenim, subdit Cornelius a Lapide, *sicut Angelorum est perpetim laudare Deum in cœlis, sic sacerdotum officium est eumdem jugiter laudare in terris.* — Eorum etiam officium est promovere gloriam Dei, et procurare, quantum possunt, salutem animarum. Ad hunc quippe finem Christus Dominus, antequam in cœlum reverteretur, reliquit eos, inquit D. Ambrosius,[3]) *veluti amoris sui vicarios,* id est, veluti ministros, qui apud homines sua vice fungerentur, quique a se inchoatum et consummatum Redemptionis opus diligenter continuarent. Quamobrem discipulos suos alloquens, hæc effatus est: *sicut misit me Pater et ego mitto vos.*[4]) Quasi diceret: explendum vobis committo idem illud officium, cujus causa egomet in mundum veni, id est officium manifestandi Patris mei nomen hominibus. Et conver-

[1]) Hebr. 5. 1. — [2]) Eccli. 45. 19. — [3]) In Luc. L. 10. cap. ult. — [4]) Jo. 20. 21.

sus ad Patrem, orat pro sacerdotibus, dicens: *Ego te clarificavi super terram. .... Ego dedi eis sermonem tuum. .... . Sanctifica eos in veritate. . . . Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos.*[1]) Hic igitur est sacerdotum finis: debent homines imbuere Dei notitia, debent eos docere Dei perfectiones, ejus justitiam, ejus misericordiam; debent eos in diversis præceptis erudire, atque ita in Dei cultum, in Dei famulatum in Deique amorem inducere; debent perditas oves conquirere et, si opus sit, ipsam vitam pro eis profundere. Hic fuit finis adventus Christi in terram; et hic est pariter finis, ob quem tu constitutus es sacerdos.

## Pii affectus.

*Quid est,* o mi Deus, *quid est homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?*[2]) Est magna felicitas et altum privilegium esse sacerdotem, posse arcessere e cœlis in terram, atque adeo inter proprias manus Incarnatum Verbum, instrui facultate liberandi animas a peccato

---

[1]) Jo. 17. 4, 14, 17, 18. — [2]) Job. 7. 17.

Digitized by Google

et ab inferorum suppliciis, fungi vice Jesu Christi, esse lucem mundi pacisque sequestrum Deum inter et homines, dignitate omnes terræ reges antecellere, potestatis amplitudine ipsis angelis esse superiorem, et ut omnia uno S. Clementis verbo dicantur, esse hominem divinum, *Deum terrestrem.* Atqui hæc est altissima et felicissima sors, ad quam tu, Domine Deus, me vocare dignatus es. Quodsi in terra nihil hac sorte altius nec felicius reperitur, nihil pariter reperiri potest, quod ea sit formidolosius. Et sane, quia Christus Jesus filius tuus in meas manus descendit, daturus se mihi ipse in cibum, niveo utique candore refulgeam oportet; quia pacis sequester sum inter te et homines, oportet utique ut absque culpæ reatu divinæ majestati tuæ me sistam; quia sum vicarius divini Redemptoris, oportet ut mea vita ejus vitæ sit consimilis; quia sum lux mundi, oportet ut splendore mearum virtutum homines collustrem. Quid multa? Quia sum sacerdos, oportet ut vitæ sanctitate præfulgeam; sin aliter, quo majoribus a te cumulatus sum muneribus, eo gravioribus a te afficiar pœnis: *cum enim augentur dona,* inquit

D. Gregorius,[1]) *rationes etiam crescunt donorum;* et D. Bernardus:[2]) *cœleste tenet* (sacerdos) *officium, angelus Domini factus est; et ideo, tamquam angelus, aut eligitur aut reprobatur.* Quoniam igitur in sacerdotem me tibi elegisti, concede mihi ut illam ego vitam, quæ sacerdotem decet, usque ad obitum ducam. Fac sim totus tuus, fugitando morte pejus vel ipsam peccati umbram, amando te majori quotidie affectu et promovendo, quantum potero, cum tui nominis gloria animarum salutem. O Maria mater mea, benedic mihi et precare semper pro me, ut Summo Sacerdoti, id est Christo Jesu, filio tuo, evadam in dies similior. Amen; ita spero, sic fiat.

**Meditatio secunda.**

De sacerdotis sanctitate.

Considera, sacerdos et perpende, ipsius vocationis tuæ lege, te ad hoc adstringi, ut omnibus viribus in tibi comparandam sanctitatem incumbas. Omnis sacerdos ad duo prænobilia atque altissima officia

[1]) *In Evang.* hom. 9. — [2]) Declam. n. 24.

divinitus destinatus est: ad officium colendi Deum sacrosancto Altaris Sacrificio, et ad officium sanctificandi animas. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum;*[1]) id est, inquit D. Thomas, *omnis Pontifex constituitur in iis quæ sunt ad Deum, non propter gloriam, non propter cumulandas divitias.*[2]) Quasi dicat: electus es, o sacerdos, in hocque mundo positus es, neutiquam ut divitiis affiueres, ut famam tibi consequereris, ut genio indulgeres, vel ut domesticas tuæ familiæ opes amplificares: sed ut totus in rebus divinis esses, illaque duntaxat negotia procurares, quæ ad Dei gloriam animarumque salutem spectant. Audi etiam hanc D. Pauli[1]) ad viros ecclesiasticos adhortationem: *In omnibus,* inquit Apostolus, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia,* ita scilicet ut æquo animo perpetiamur paupertatem, adversam valetudinem, variasque hominum persecutiones; *in vigiliis, in jejuniis,* ita ut in rebus, quæ ad amplificandam Dei gloriam

---

[1]) Hebr. 5. 1. — [2]) *In Hebr. 5,* lect. 1. — [3]) II. Cor. 6. 4—10.

conducunt, jugiter detineamur, et abstineamus a cæteris omnibus, quæ nostros sensus oblectant; *in castitate, in scientia, in charitate non ficta,* ita ut corpus ab omni impuritate immune conservemus, et mentem sacra doctrina, animas juvandi causa, excolamus, utque omni qua possumus in proximos indulgentia, lenitate et vera dilectione utamur; *quasi tristes, semper autem gaudentes,* ita ut mœsti quidem esse videamur, quia sæculi oblectamentis caremus, sed perfruamur suavissima illa, qua filii Dei perfunduntur pace; *tamquam nihil habentes et omnia possidentes,* ita ut terrenis bonis orbemur, sed abundemus divitiis cœlestibus; qui enim Deum possidet, hic possidet omnia. En genuina sacerdotalis vitæ forma; en exemplar ad quod se componere debent, quotquot sunt sacræ militiæ adscripti. Debent esse viri sancti, quia sunt ministri Dei, qui est ipsa sanctitas: *sancti estote, quia ego sanctus sum.*[1]) Debent esse parati ad obeundam mortem ut salvificent animas, quia sunt ministri Jesu Christi, qui descendit in terram, ut

[1]) Levit. 11. 44.

pro suis ovibus moreretur: *Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*[1]) Debent denique omni ope atque opera eniti, ut in omnium cordibus ignem divini amoris accendant, quia sunt Ministri Incarnati Verbi, quod ea solum mente in mundum venit, ut homines divino amore inflammaret, sicut Discipulis suis denuntiavit, dicens: *ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut accendatur?*[2])

## Pii affectus.

O mi Jesu, o Sol Justitiæ, omniumque virtutum exemplar, ecce me genibus coram te provolutum. Tu in sacerdotem me elegisti, et ego volo fieri sacerdos sanctus, eo solo fine ut tibi gratus existam, utque multum et in hac et in altera vita te amare valeam. Nihil equidem ex me possum; tu vero potes omnia, nec me latet velle te meam sanctificationem. Video animam meam, ex tuæ gratiæ beneficio, eo usque jam progressam, ut tui amore teneatur, eamque nihil amplius extra te sibi desiderare. Nolo in posterum mihi

---

[1]) Jo. 10. 11. — [2]) Luc. 12. 49.

Digitized by Google

vivere; tu me vis totum tuum, et ego volo esse totus tuus. Veni igitur, Domine Jesu, veni et conjunge te arcte mecum. Tu es bonitas infinita, tu fuisti et esse perseveras amator meus, tu es totus amabilis atque idcirco omni amore dignissimus; quî ergo potero amare aliquid extra te? Pluris ego facio amorem tui quam omnia terrestria bona; tu es amor meus unicus, tu unica affectuum meorum meta. Renuntio omnibus, ut amori tuo me totum mancipem, ut diligam te solum Creatorem meum, meum Redemptorem, meum consolatorem, spem meam, mea omnia. Nolo, ob injurias, quas tibi olim intuli, spem comparandi mihi sanctitatem amittere. Scio enim, o mi Jesu, ideo te mortem obiisse, ut omnibus, quos suorum peccatorum pœnituisset, ignosceres. In præsenti amo te; amo te ex toto animo meo, ex tota mente mea; amo te plus quam meipsum, et ex intimo corde doleo me tibi olim displicuisse, tibi, qui es bonitas infinita, et summum Bonum. Jam sum totus tuus, nihilque meus; tu igitur, Deus cordis mei, fac de me quidquid tibi placuerit. Ut sanctitatem mihi acquiram tibique complaceam, nullas, qui-



Digitized by Google

bus me pressum volueris, ærumnas recuso; non recuso corporis infirmitates ac dolores, mentis angores, opprobria, paupertatem, hominum insectationes, animi ariditatem ac desolationem, neque ipsam mortem recuso cum omnibus, quas hæc secum allatura est, angustiis et cruciatibus, dummodo gratiam amandi te mihi concedas. Adjuva me et fac, ut per omnem, quæ mihi restat, vitam eo te amore diligam, qui operiat multitudinem peccatorum, quibus cor tuum, o Amor animæ meæ, olim contristavi. O Maria sanctissima, redde me sanctum; Mater Dei et præpotens peccatorum advocata, tibi ego confido. Amen.

### Meditatio tertia.

### De Sacerdotis bono exemplo.

Considera et perpende, sacerdos, illud esse unum ex præcipuis tuis officiis, ut Christi fidelibus jugiter piæ ac vere religiosæ vitæ exemplum præbeas. Sunt sacerdotes sal terræ: *vos estis sal terræ.*[1]) Debent igitur sale sanctæ doctrinæ populos

[1]) Matth. 5. 13.

Digitized by Google

quodammodo condire ac sapore sanctæ conversationis conspergere. Sunt *lux mundi.*[1]) *Debent igitur*, ait Chrysostomus,[2]) *vitam habere compositam, ut omnes in illos veluti in exemplaria excellentia intueantur.* Sunt, teste D. Hieronymo, *Patres Christianorum:* debent igitur filiorum suorum curam agere, et propriæ vitæ exemplo eos ad sanctam vitam allicere atque excitare. *Quid faciet laicus*, inquit Petrus Blesensis[3]) *nisi quod patrem suum spiritualem viderit facientem?* Sacerdotes sunt speculum mundi: *decet igitur*, ait D. Gregorius,[4]) *sacerdotem moribus clarescere, quatenus in eo, tanquam in vitæ suæ speculo, plebs et eligere quod sequatur et videre possit quod corrigat. Cum enim*, subdit Concilium Tridentinum,[5]) *qui se divino ministerio dedicarunt, a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur.* Hæc tu pia mente meditare, et intelliges sacerdotibus potissimum dictum esse a Domino: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut vi-*

1) Ibid. 14. — 2) *In I. Tim.* hom. 10. — 3) Serm. 57. — 4) *Epist.* L. 7. ind. 1. ep. 82. — 5) Sess. 22. *de Ref.* c. 1.



Digitized by Google

*deant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*[1])

Describit Tridentina Synodus sacerdotalis vitæ formam, dicens: *Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Nec aliter loquitur tertium Concilium Valentinum:[2]) *Sacerdos*, inquit, *de religione sua in habitus, vultus, ac sermonis gravitate, talem se exhibere studeat, ut se formam disciplinæ ac modestiæ infundat.* Dicitur primo *in gravitate habitus*, ita ut sacerdos omnimodam tum in vestitu tum in cultu modestiam servet. Dicitur secundo *in gravitate vultus*, ita ut sacerdos teneat oculos demissos ad terram, non solum cum sacra munia in Ecclesia obit, sed etiam cum in publicum egreditur, et tum maxime cum, cogente necessitate, ei veniendum est in colloquium cum mulieribus. Dicitur denique *in gra-*

[1]) Matth. 5. 16. — [2]) anno 855. can. 15.

Digitized by Google

*vitate sermonis;* ita ut nullum unquam verbum proferat, quod vel specie aliorum aures offendere possit; *quod enim veniale est plebi,* inquit Petrus Blesensis,[1]) *criminale est sacerdotibus,* et *quod erroneum est ovi, peremptorium est pastori;* — *in gravitate sermonis,* ita ut omnem semper devitet obtrectationem, quod vitium a nonnullis nonnisi ultimo loco deponi solet, dicente D. Hieronymo:[2]) *qui ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum, incidunt;* — *in gravitate sermonis,* ita ut sæcularium sermonem congressumque fugiat; nam *sicut in pestilentibus locis,* inquit S. Basilius,[3]) *sensim attractus aër morbum injicit, sic in prava conversatione mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur.* Tu vero, ad declinanda omnia ista, sin minus nociva at saltem inutilia cum sæcularibus colloquia, in eam incumbe curam ut familiari consuetudine cum Jesu Christo in Eucharistiæ Sacramento latitante utaris, faciendo crebras in Ecclesia precationes, vacando, peracta

[1]) *Ad Past. in Syn.* S. 3. — [2]) Ep. ad Celant. — [3]) Hom. *Quod D. non sit auct. mal.*

Digitized by Google

re divina, longæ gratiarum actioni, salutando crebro SS. Sacramentum, et Deiparam Virginem. Sunt qui hisce pietatis actibus ita clanculum vacent, ut a nemine videantur. Non est sic agendum; immo potius decet sacerdotem manifesto agere, minime quidem ad laudem hominum sibi captandam, sed ad alios in perfectiorem Dei famulatum inducendos: *Videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*[1])

## Pii affectus.

Domine Jesu, operit confusio faciem meam. Insignivisti me sacerdotii honore, ut virtutibus tuis indutus populum christianum, in imitationem tui, sanctitate vitæ meæ inducerem. Sed eheu, quam male respondi fini vocationis meæ! Debebat mea vita esse salutis prædicatio, eam vero ita transegi, ut potius evaserit Christi fidelibus ruinæ occasio. Neutiquam enim more ministrorum tuorum vixi, sed more amatorum mundi; inconsideratus in sermone, in moribus incompositus, in iram

[1]) Matth. 5. 16.

Digitized by Google

proclivis, obtrectationum avidus, inhians sæcularibus oblectamentis, precationis et sanctarum meditationum pertæsus, uno verbo exemplar potius me exhibui pravitatis quam speculum virtutis. Hæc, proh dolor! fuit hactenus vita mea. Tu vero, Domine, ignosce mihi; volo enim mutare mores et in posterum vivere qualiter sacerdotem addecet. Renuntio mundanis oblectamentis, sæcularibus curis, omnibusque inutilibus colloquiis, certus iis tantum vacare rebus, quæ tibi placent, et sic verus tui fieri imitator; ita ut hinc in posterum exhibeam me in omnibus populo christiano tanquam verum Dei ministrum, in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in scientia, in suavitate, in charitate non ficta. O Jesu, virtutum exemplar, fac me tibi similem, fac ut ego quoque tanquam virtutum exemplar luceam. O Maria, o speculum justitiæ, ora pro me; impetra mihi, ut bonus Christi odor fiam, ad eumque corda omnium alliciam. Amen.

Digitized by Google

### Meditatio quarta.

### De Sacerdotis vita tepida.

Cum illis qui ecclesiasticæ militiæ adscripti sunt, nihil, juxta peccatum lethale atque æternam damnationem, magis timendum sit quam tepida vita; vide et considera, sacerdos, quibusnam notis tepida hæc vita dignoscatur. Tepidus sacerdos est ille qui graviter quidem peccare veretur, sed qui ex incuria perfectioris vitæ, quam ex sui status officio sectari tenetur, peccata venialia tam parvi æstimat, ut scienter in ea prolabatur, prout impetus animi eum ad tales lapsus propellit. Hinc frequenter delinquit, narrat mendacia, non adhibet in cibo et potu debitam moderationem, incidit in iram, utitur præpropera festinatione in celebratione Missæ et in recitatione Divini Officii, effundit se in querimonias, in obtrectationes, in scurriles sermones, in negotia sæcularia; inhiat mundanis oblectamentis, fovet periculosa desideria et lubricos affectus, subit humani respectus jugum; est gloriosus, pronus offensioni, sui solius amans, impatiens omnis molestiæ et vituperii, aversus ab oratione pietatisque exercitiis. Quid multa?

Digitized by Google

jactatur variis cupiditatibus, quæ sensim animi vigorem ita corrumpunt ut, superveniente validiori aliqua tentatione, fœde in peccatum mortale proruat. Pravæ enim cupiditates, quas tepidus non refrænat, *sunt*, inquit P. Alvarez de Paz,[1]) *velut irremissæ ægrotatiunculæ, quæ vitam quidem non dissolvunt, sed ita corpus extenuant ut, accedente aliquo gravi morbo, statim corpus vires non habens resistendi succumbat.* Nec proinde mirum, si Deus tepidum quemque minaciter sic alloquitur: *quia tepidus es et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.*[2]) Tu igitur, o sacerdos, perpende hæc minacia verba, et si tepidum te esse agnoscis, contremisce, tuæque animæ consule saluti.

Considera, quomodo tepidus sacerdos ex Dei ore evomi incipiat. *Incipit evomi,* inquit Menochius,[3]) *cum permanens in tepore suo incipit Deo nauseam movere, donec tandem in morte sua omnino evomatur, et a Christo in æternum separetur.* Incipit evomi, cum Deus blandis eum invitationibus ad

---

[1]) *De Perf.* L. 5. p. 2. c. 16. — [2]) Apoc. 3. 16. — [3]) *In* loc. cit.

Digitized by Google

se allicere desinit (atque hoc est quod proprie per hæc verba *evomi ex ore Dei* significatur); cum desinit spiritualibus eum recreare consolationibus, cum desinit sancta ei injicere desideria, cum faciem suam ei abscondit, et fluenta spiritualis unctionis ita inhibet, ut non amplius ad eum deriventur. Quodsi infelix piam aliquam meditationem instituere conatur, peregrinatur ejus animus, ipseque præ mentis evagatione et duritia cordis, languescit tædio. Inde evenit ut meditationem mox omittat, omissa autem oratione mentali, eo statim adducitur, ut etiam vocalem omittat, et sic destituitur Dei adjutorio et devenit in statum quotidie pejorem. Facit quidem sacrum et recitat Canonicas Horas, sed plus inde damni sibi reportat quám emolumenti, quia omnia facit per vim et oscitanter. *Calcabis olivam et non ungeris oleo.*[1]) Oleo totus inungeris, ait Dominus, sed remanebis unctionis expers. Sacrificatio, Divini Officii recitatio, auditio confessionum, pium officium adstandi moribundis, interveniendi sepulturæ mortuorum: hæc

[1]) Mich. 6. 15.

Digitized by Google

omnia, quæ pio sacerdoti novum pietatis fervorem injiciunt, relinquunt eum durum, inquietum, rerum terrestrium amatorem et millenis obnoxium tentationibus; usquedum infortunatus homo eo tandem languoris perveniat, ut ex ore Dei in perpetuum evomatur.

### Pii affectus.

Oro te, Domine, ut me non evomas ex ore tuo. Sum quidem dignus qui a te rejiciar; sed parce mihi, quandoquidem decrevi resipiscere. Jam agnosco, indiligentem vitam meam tibi minime placere posse; agnosco etiam, meam in tuo famulatu socordiam in causa esse, cur fons illarum gratiarum, quem in me derivatum velles, occludatur. Noli tamen, Domine, noli me deserere, sed perge commisereri mei. Mihi enim decretum est miserabili huic vitæ statui me eripere. Volo in posterum cum intentiori cura cupiditates meas frangere, promptius tuæ gratiæ incitamentis annuere, excutere efficacius omnia illa quæ pietatis exercitia comitari solent, fastidia, atque accuratius meis fungi officiis: uno verbo volo ex hinc omnem in-

tendere curam ut tibi gratus existam, nihilque eorum prætermittere, quibus me tibi placiturum esse cognovero. Tu mihi, o bone Jesu, gratias in maxima copia elargitus es, tu eo usque devenisti ut ipsum sanguinem tuum ac vitam pro me profunderes. Forem proinde in te injuriosus, si parcius vicem tibi redderem, tibi, inquam, qui omnem tibi honorem et amorem promereris, et dignus es, cujus causa omnes labores ac pœnæ suscipiantur. Tu, Domine, cui mea nota est imbecillitas, extende manum tuam super me et adjuva me, qui tibi plane confido. Adjuva me, tu quoque Maria, quæ sæculo me renuntiare fecisti; adjuva me semper, ut ego me vincam atque in virum sanctum immuter. Amen.

### Meditatio quinta.

De Sacerdotis charitate erga Deum.

Considera, Sacerdos, et perpende, in hanc tibi jugiter excubandum esse curam, ut Dominum Deum tuum vere diligas, utque quotidie in sancta ejus dilectione progrediaris. Dei enim dilectio est virtus tibi omnino necessaria; adeo necessaria, ut sine ea vix dignus sis, qui sacerdos

Digitized by Google

appelleris: *Sacerdos quidem dici potes,* inquit Petrus Blesensis,[1]) *sed esse non potes.* Sacerdotii honore insignitus, non es amplius tui juris, es totus Dei; es, ceu loquitur Origenes,[2]) *mens consecrata Deo,* et Deus est pars hæreditatis tuæ. Jam vero *cui Deus portio est,* inquit Ambrosius,[3]) is *nihil debet curare nisi Deum,* nec aliud quidpiam appetere nisi perfectam magni hujus præcepti exsecutionem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua.*[4])

Ut autem omnes hujus præcepti partes expleas, *disce,* inquit D. Bernardus,[5]) *disce a Christo quemadmodum diligas Christum.* Christus a die nativitatis suæ totum se ipse nobis dedit: *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis.*[6]) Dedit se porro ex amore: *Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.*[7]) Æquum est igitur, ut nos pariter ex amore ei totos nos tradamus. Præterea Christus omnia sua nobis

---

[1]) Serm. 41. — [2]) *In Lev.* hom. 15. — [3]) *De Esau.* c. 2. — [4]) Luc. 10. 27. — [5]) *In Cant.* serm. 20. — [6]) Is. 9, 6. — [7]) Eph. 5. 2.

Digitized by Google

dedit: dedit sanguinem suum, suam vitam, sua merita: *totum tibi dedit*, ait Chrysostomus, *nihil sibi reliquit.* Æquum est igitur, ut tu quoque illi omnia tua dones. *Integrum te da illi,* inquit Bernardus,[1]) *quia ille, ut te salvaret, integrum se tradidit.* Et D. Franciscus Assisiensis, sui Ordinis sacerdotes alloquens, *nihil,* ait, *de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat qui se pro vobis exhibuit totum.* Ideo enim *pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.*[2]) Tu igitur soli Deo vivito et itera semper hæc D. Augustini verba: *Moriar mihi, ut tu solus in me vivas.* Ut autem soli Deo vivas, debes omnem tuum amorem omnesque tui cordis affectus ad eum solum convertere. *Minus* enim, inquit Augustinus, Deum alloquens, *minus te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*[3]) Quapropter, *anima sola esto,* subdit D. Bernardus,[4]) *ut soli te serves;* quasi dicat: noli, o anima, quæ a Christo redempta es, amorem tuum in duas partes dividere, ita

---

[1]) *De modo bene viv.* c. 8. — [2]) II. Cor. 5. 15. — [3]) *Conf.* L. 10. c. 29. — [4]) *In cant.* serm. 40.

ut unam partem Creatori, alteram creaturis impertiaris: sed quidquid habes amoris, da illi Deo, qui solus dignus est, qui a te ametur. Nec aliter intelligendum est hoc Beati Ægidii effatum: *Una uni;* id est una duntaxat est nobis anima; hæc proinde non divisa sed integra danda est Deo, qui cum nos amet maxime, maxime quoque dignus est qui a nobis redametur.

Pii affectus.

Quot et quanta fecisti, mi Redemptor, o bone Jesu, ut a me amareris! Næ, nimis ingratus forem, si te parce amarem, te, Deum meum, qui sanguinem tuum tuamque vitam pro me profudisti, et qui in SS. Sacramento te mihi donas quotidie. Si tu pro me, misero tuo servo, mortuus es, æquum est profecto, ut ego vicissim pro te, Deo meo, qui mihi omnia es, amanter moriar. O mi Jesu, avelle me a rebus creatis omnibus, et fac ut tibi me totum tradam. Ejicio ex corde meo omnem in creaturas affectum, ut soli tuo amori me mancipem. *Dilectus meus electus ex millibus.*[1]) Ex omnibus caris eligo te mihi in

[1]) *Cant.* 5. 10.

Digitized by Google

meum dilectum, in thesaurum meum, in amorem meum unicum. Amo te, o mi amor; amo te, et placet eamdem semper iterare vocem: amo te; o mi amor, o mi amor, amo te! Et quoniam a me deamari desideras, tibique displicet si quidpiam extra te diligo, volo tuum explere desiderium, volo te multum amare, et extra te amare nihil. Adjuva me, mi Deus, adjuva me; et fac me in sancta tua voluntate perfecte concordem. Sed et tu, Maria sanctissima, Mater pulchræ dilectionis, adjuva me, ita ut toto cordis mei affectu Deum meum exhinc diligam. Amen. Sic spero, sic fiat!

### Meditatio sexta.

### De Sacerdotis Zelo.

Considera, sacerdos, et perpende tuas esse partes procurare salutem animarum. Qui sacræ militiæ nomen dedit, non potest esse verus Christi sequax, nec fieri sanctus, nisi studeat assequi suæ vocationis finem, qui est salus animarum. Cum Christus Dominus aliquod sibi amoris pignus a Petro Apostolo peteret, nihil aliud petiit, nisi ut Apostolus omnem operam suam ac

studium salvandis animabus navaret: *Simon Joannis, diligis me? ... Pasce oves meas.*[1] Non dixit, inquit Chrysostomus:[2] *abjice pecunias, jejunium exerce, macera te laboribus*; — sed dixit: *pasce oves meas.* Dixit præterea, se omnia beneficia, quæ in nostros etiam humillimos proximos contulerimus, habiturum esse quasi fuissent in se ipsum collata: *Amen, dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*[3]) Debet igitur omnis sacerdos salutis animarum esse sitientissimus. Hæc est meta, ad quam dirigenda est ejus industria totaque ejus operositas. Nec is foret germanus Christi minister, qui segregem ac solitariam vitam agendo, sibi soli viveret. Ecquid porro potest esse homini gloriosius quam fieri, sicut loquitur Paulus Apostolus, adjutorem Dei in hoc maximo salutis animarum negotio? Fervido Dei amatori non satis est, si solus Deum amet; studet et alios in eumdem amorem inducere. Tenebatur hoc studio regius Psaltes, et ideo in hanc vocem prorupit: *Ma-*

[1]) Jo. 21. 17. — [2]) Serm. de B. Philog. — [3]) Matth. 25, 40.



Digitized by Google

*gnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.*[1]) Et ad idem studium adhortatur nos Augustinus,[2]) dicens: *Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei.*

Considera præterea quam secure propriam salutem sperare debeat qui, vero animarum zelo ductus, salvandis animabus operam suam navat. *Animam salvasti,* inquit Augustinus, *animam tuam prædestinasti.* Et ipse Spiritus Sanctus: *Cum effuderis esurienti animam tuam*, id est, cum spiritualis opis egeno subveneris, *et animam afflictam repleveris,* inopemque divitiis divinæ gratiæ cumulaveris, *requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam,*[3]) id est, abunde te sua luce collustrabit, suaque pace mentem tuam perfundet. Sanctus quidem Paulus reponebat omnem spem salutis suæ in salute quam procurabat aliis. Qua spe repletus, hæc ad Thessalonicenses, quos ad christianam fidem deduxerat, scribere non dubitavit: *quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante*

[1]) Ps. 33. 4. — [2]) In Ps. 33. en. 2. — [3]) Is. 58. 10.

*Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?*[1])

Pii affectus.

Num fieri potest, Domine Jesu, ut, quantas debeo, tantas tibi gratias agam pro meæ vocationis beneficio, quæ illud ipsum mihi implendum assignat officium, quod tu in terris implevisti, officium nempe navandi salvandis animabus contemptibilem opellam meam? Sed unde hoc mihi, ut tu me amplissimo hoc honore exornaveris, me, inquam, qui tot te injuriis affeci, quique insuper in causa fui, cur alii quoque injuriis te affecerint. O quanta fuit tua in me dignatio! Quoniam vero tanquam adjutorem me tibi in hoc grandi negotio adscivisti, volo omnes meas extendere curas, ut tanto me ministerio dignum reddam. Ecce me! ut morem tibi geram, tibique placeam, offero tibi cum vili mea opera ipsam vitam meam. Nec in explendis sacri ministerii partibus meo genio indulgere intendo, nec hominum appeto laudem et plausum. Mihi enim

[1]) I. Thess. 2. 19.

solum in votis est allaborare, ut tu ab omnibus, quantum mereris, adamere. Tanti meam sortem facio, et summum hunc honoris gradum adeptus adeo fortunatum me æstimo, ut renuntiem omnibus hominum laudibus ipsisque, qui ex prosperis successibus enascuntur, juçunditatibus. Solam gloriam tuam quæro, et propterea omnis tibi sit honor et jucunditas; mihi autem quælibet molestia et vituperium. Suscipe, Domine, hanc oblationem quam de seipso tibi exhibet miserabilis peccator, qui et amare te et ab aliis te amatum videre peroptat. Suscipe oblationem, et ita me adjuva, ut eam non solum dictis sed factis etiam exsequar. Tu quoque, animarum amatrix meaque advocata, Maria, auxilio tuo me adjuva. Amen.

**Meditatio septima.**

### De Sacerdotis pietate erga Virginem Deiparam.

Considera, sacerdos, et perpende quam necessarium tibi sit Deiparæ Virgini esse devotum. *Est,* inquit D. Thomas, *ordo divinitus institutus in rebus ut, per media, ultima reducantur in Deum. Unde, cum Sancti*

Digitized by Google

*qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divinæ legis ordo requirit, ut nos, qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per Sanctos medios reducamur.*[1]) Si igitur ad Sanctos confugiendum est, ut per eos ad salutem necessarias gratias consequamur, quanto magis confugiendum est ad Deiparam Virginem, quæ constituta est omnium gratiarum dispensatrix et in cujus manibus sunt omnes miserationum Domini thesauri. *Quæramus gratiam,* inquit D. Bernardus[2]), *et per Mariam quæramus.* Et ipse Dominus, pendens in cruce, et alloquens Discipulum, *Ecce,* inquit, *ecce Mater tua;* ac si diceret, ait Contenson:[3]) *Nullus sanguinis mei particeps erit, nisi intercessione Matris meæ. Vulnera mea gratiarum fontes sunt; sed ad nullos derivabuntur rivi, nisi per Mariam canalem. Joannes, tantum a me amaberis, quantum eam amaveris.* Hæc tu, o sacerdos, pia mente perpende, et intelliges, quam diligenter tibi versandum sit in iis, quæ ad cultum Beatissimæ Virginis spectant. Si enim Christianus quisque de-

[1]) In 4 sent. d. 45. q. 3. a. 2. — [2]) De Aquæd. — [3]) Theol. ment. et cord. t. 2. L. 10. d. 4. c. 1.

bet esse fervidus Mariæ cultor ad eamque crebro confugere, ut per eam illas gratias consequatur, quæ eum faciant christiano modo vivere; quanto magis hoc necessarium est tibi, qui debes vivere more Sanctorum, et cui perpetuis gratiis opus est, ne a via sanctitatis deflectas.

Considera etiam, quanta tibi in Beata Virgine habenda sit fiducia, tum propter ejus apud Deum potentiam, tum propter ejus in homines bonitatem. Ad potentiam quod attinet, hæc est tantæ amplitudinis, ut Cosmas Hierosolymitanus [1]) Marianam intercessionem omnipotentem appellet: *omnipotens auxilium tuum, o Maria!* Quod idem affirmat Richardus a Sancto Laurentio,[2]) inquiens: *ab omnipotente Filio omnipotens Mater est effecta.* Obtinet enim quidquid postulat, tum quia Filius eam plus amat quam reliquos Sanctos omnes, tum quia mater ejus est; ex quo fit, ut Mariæ precationes sint quodammodo imperia, sicut loquitur S. Antoninus,[3]) dicens: *Oratio Deiparæ habet rationem imperii; unde impos-*

[1]) Hymn. 6. — [2]) De Laud. B. M. L. 4. — [3]) P. 5. t. 15. c. 17. §. 4.

Digitized by Google

*sibile est eam non exaudiri.* Et S. Petrus Damianus:[1]) *Accedis,* ait Mariam alloquens, *accedis ante illud humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans; Domina, non ancilla: nam Filius nihil negans honorat te.* Nec Mariæ potentia minor est ejus in nos clementia; vocatur enim et est mater misericordiæ. Caritas, qua mater propriam prolem complectitur, non est nisi umbra ad amorem, quo in nos flagrat Maria. Si omnis omnium matrum in filios dilectio in unam dilectionem coalesceret, negat P. Nierembergius conjunctam hanc dilectionem adæquare illum pietatis affectum, quo pectus Mariæ in singulos suos cultores redundat. Quamobrem S. Germanus[2]) piam Matrem sic affatur: *Quis, post Filium tuum, curam gerit generis humani sicut tu? Quis pugnat pro peccatoribus? Propterea patrocinium tuum majus est, quam comprehendi possit.* Et pius quidam alius scriptor: *Maria adeo prædita est misericordiæ visceribus, ut non tantum misericors, sed ipsa misericordia dici promereatur.* Et Bernardinus de Bustis:[3]) *Plus desiderat ipsa facere*

[1]) In Nativ. B. M. serm. 1. — [2]) De Zona Deip. — [3]) Mariale p. 2. serm. 5.

*tibi bona et largiri gratiam, quam tu accipere concupiscas.* Tu igitur, o sacerdos, vive piæ huic matri devotissimus, colendo eam illis pietatis officiis, quibus ejus cultores eam honorare solent; recitando quotidie ejus sacrum Rosarium, præveniendo ejus festa novendialibus precationibus, servando in ejus honorem diebus sabbati jejunium; gerendo pendula a collo sacra ejus scapularia, salutando eam quotidie in una ex suis imaginibus, legendo quotidie aliquid de suis gloriis. Similiter, si per viam in ejus icones incidas, saluta eam venerabundus, eumdemque morem domo egrediens vel rediens servato; ad eam confugito frequenter, maxime vero mane et vespere ejus te tutelæ committe, recitando ter Ave Maria in honorem ejus puritatis, ut ita thesaurus castitatis, per ejus intercessionem, tibi illibatus conservetur; postremo cura ut, per sacras conciones et privata colloquia, ejus cultum apud Christi fideles, quantum in te erit, promoveas. Ipsa enim dicit: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*[1])

[1]) Eccli. 24. 31.

### Pii affectus.

Ecce me prostratum ad pedes tuos, o carissima atque amabilissima Regina mea Maria. Sicut Deo, ita et tibi maximas gratias ago, quod sæculi laqueis me subduxisti, quodque ad hanc vitæ conditionem eligendam me induxisti, quæ me ad fidelem tui famulatum jugiter adhortatur. Tu igitur, o Mater mea, suscipe me in servum et filium, et fac ut tibi, sicut sacerdotem decet, fideliter atque amanter serviam. Tu es post Deum spes mea unica, et unicus meus amor. Confugiam ad te in omnibus meis necessitatibus, in omnibus angustiis, in omnibusque tentationibus; tu vero esto refugium meum meumque solatium. Nemo me in colluctationibus cum dæmone confortet, nemo me in mœstitiis hujusque vitæ tædiis consoletur, nisi Deus et tu, Mater piissima. Ut tibi serviam, renuntio rebus omnibus; mea quippe felicitas est famulari tibi, tibi benedicere et amare te, o Domina amabilissima, cui servire regnare est. Tu es mater perseverantiæ; impetra igitur mihi gratiam perseverandi fideliter in tuo famulatu usque ad mortem. Hanc gratiam a te exspecto; et sic quidem futurum esse

spero, ut eo aliquando perveniam, ubi tuas laudes ac misericordias in æternum cantabo. Interim vero, cum eximio tuo cultore Alphonso Rodriguez, hæc indesinenter verba iterabo: Jesu et Maria, amores mei dulcissimi, pro vobis patiar, pro vobis moriar; sim totus vester, nihilque meus!

## 3. Preces ante et post Confessionem sacramentalem.

*Ante confessionem pete a Deo lumen, ut omnia a te commissa peccata cognoscere possis, pete etiam gratiam, ut verum de iis dolorem cum efficaci emendationis proposito concipias. Nec prætermitte recurrere ad perdolentem Deiparam Virginem, ut contritionis gratiam ab ea tibi exores. Peracto autem conscientiæ examine, elice has*

### 1. Preces ante confessionem.

En ad pedes tuos, o Deus summæ majestatis, perfidum peccatorem, qui in tui quidem offensam relapsus est, sed qui humili nunc animo veniam sibi exposcit. *Domine, ne projicias me a facie tua.*[1]) Tu

[1]) Ps. 50. 13.

neminem qui se coram te humiliat aspernaris: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*[1]) Ago tibi gratias quod usque ad præsentem horam me exspectasti, quod vitam mihi produxisti, cum in offensa apud te essem, et quod ab inferno, quo dignus eram, me præservasti. Quoniam vero me exspectare dignatus es, spero, mi Deus, te per merita Jesu Christi mihi fore placabilem, mihique nunc, per hanc confessionem, tributurum esse cunctorum meorum peccatorum remissionem. Eorum omnium me pœnitet, de iisque doleo, non solum quia infernum per ea mihi commerui et Paradisum perdidi, sed etiam et præcipue quia per ea tibi displicui, tibique, o infinita Bonitas, offensam irrogavi. Amo te, o Summum Bonum; et quia amo te, doleo ex intimo corde de universis, quas tibi intuli, injuriis. Contumaciter a te recessi; deliqui in reverentiam, quæ tibi debetur; sprevi tuam gratiam et amicitiam, uno verbo, sciens et volens, feci jacturam tui. Ignosce mihi, Domine, et, per amorem Jesu Christi, tribue mihi veniam; quando-

[1]) Ps. 50.

quidem omnia mea delicta mihi displicent, et nullum est quod non odio habeam, quod non detester, et super quodlibet aliud malum abominer. Nec solum lethalium, quæ commisi, peccatorum me pœnitet, sed etiam venialium; nam et venialiter peccando deliqui contra te tuæque displicui bonitati. Statuo, te adjuvante, non amplius in tui incurrere offensionem et potius mori quam ullum unquam committere peccatum.


*Si tibi confitendum est aliquod peccatum in quod relabi soles, expedit, ut speciale propositum illud vitandi concipias, adjiciasque promissionem, non solum te vitaturum esse occasionem, quæ te ad illud allicit, sed etiam usurum illis cautionibus, quas tibi confessarius indicabit, vel quas tu ipse ad tui emendationem opportunas judicaveris.*

### Preces post Confessionem.


Quantam tibi, o Deus, debeo gratiam! Spero me, per tui Sanguinis merita, jam impetrasse veniam. Grates, quas possum maximas, pro hoc novo beneficio tibi rependo, et spero me in æternum tuas misericordias decantaturum esse in cœlis. Si toties feci jacturam tui, stat mihi, o

Digitized by Google

Deus animæ meæ, non amplius eamdem renovare jacturam. Volo vere mutare vitam. Tu omni meo amore dignus es; et ego volo amare te vere, nec tuam amplius spernere amicitiam. Dixi jam et iterum dico: fixum est mihi mori potius quam tibi displicere. Nec solum fugam peccati tibi promitto, sed etiam fugam occasionis et diligentiam in adhibendo hanc cautionem (*designa eam*), quæ a novo me lapsu tueatur. At non latet te, o Jesu, quanta mea sit imbecillitas. Tu igitur illud mihi elargire, ut tibi fidelis esse perseverem usque ad mortem, utque in omnibus mihi obventuris tentationibus ad te semper confugiam. Maria Sanctissima, adjuva me; tu es mater perseverantiæ; in te proinde sunt omnes spes meæ.



Digitized by Google




# CELEBRATIO MISSÆ.

## Lectio prævia.

### § 1. Quam alta res sit Missæ sacrificium.

Non potest quidquam ab homine peragi quod sit Missæ sacrificio sanctius, excellentius et sublimius. *Necessario fatemur,* inquit Tridentina Synodus,[1] *nullum aliud opus adeo sanctum, adeo divinum a Christi fidelibus tractari posse quam hoc tremendum mysterium.* Nec penes ipsum Deum est efficere ut quidpiam sanctius aut præstantius peragatur. Multa illa quæ, sub priori Testamento, Deo offerebantur sacrificia, nonnisi umbræ erant hujus sacrificii ac figuræ. Si omnium Sanctorum atque An-

[1]) Sess. 22. Decr. de obs. in celebr. Miss.

Digitized by Google

gelorum vita, imo si ipsius Deiparæ Virginis vita in sacrificium offerretur, non est dubium, quin minus inde Deus honoris esset accepturus, quam ex unius Missæ sacrificio, eo quod hoc unum sacrificium eum infinite honorat. En igitur quid sit Missæ sacrificium: est actio qua Divinæ Majestati supremus honor exhibetur, qua Tartareorum hostium vires maxime franguntur, qua Domini contra peccatores indignatio potissimum placatur, qua denique cœlestia charismata hominibus copiosissime distribuuntur. *Quid enim bonum ejus est et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* [1]) Offert se ipse Dei filius inter Sacrum Deo in Sacrificium et donat se nobis in sanctissimo illo Sacramento, quod est omne Ecclesiæ *bonum et pulchrum*, cum pleraque Sacramenta ad Eucharistiam tanquam ad finem ordinentur, dicente S. Thoma: [2]) *fere omnia Sacramenta in Eucharistia consummantur.* Quoties Missa celebratur, toties confertur mundo tota illius boni plenitudo, quæ per crucis sacrificium mortalibus comparata

[1]) Zach. 9. 17. — [2]) P. III. q. 65. a. 3.

est. *Quidquid est effectus Dominicæ passionis*, ait idem B. Doctor,[1]) *est effectus hujus Sacramenti.* Et S. Ecclesia: *Quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.*[2]) *Una enim*, subdit Tridentina synodus[3]) *eademque est Hostia; idem nunc offerens, sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit; sola offerendi ratione diversa.* Et re quidem vera: Si Christus Dominus nondum in mundum venisset, sacerdos eum per verba consecrationis in mundum induceret, juxta celeberrimam illam sententiam: *O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Filius Dei incarnatur!*[4]) Per altaris igitur sacrificium, applicatur nobis sacrificium crucis. Passio Christi reddidit nos Redemptionis capaces; Missa vero facit nos Redemptionis bonis potiri, et efficit ut Christi merita nobis prosint.

Non est penes nos facere quidpiam quo condignas Deo pro tot acceptis beneficiis gratias agamus; sed fit condigna nostra gratiarum actio, cum Christum Deo

---

1) In Jo. VI. lect. 6. — 2) Dom. 9. post Pent. — 3) Sess. 22. De Sacrif. Miss. c. 2. — 4) Molina *Inst. Sac.* Tr. 1. c. 5. §. 2.

Digitized by Google

in Missa offerimus. Unde hoc S. Irenæi effatum: *Divinum Sacrificium ideo institutum est, ne nos ingrati simus apud Deum.*[1])

Possumus pariter per divinum hoc sacrificium omnes, quæ nobis in votis sunt, impetrare gratias. Et re quidem vera, si promissum habemus, omnia nos quæ in nomine Jesu petierimus, esse obtenturos: *si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis;*[2]) quanto magis sperandum est, fore ut preces nostræ exaudiantur, cum Deo ipsum ejus Filium in sacrificium offerimus. Deprecatur quidem semper pro nobis in cœlis Christus Dominus, dicente Scriptura: *qui etiam interpellat pro nobis;*[3]) sed in primis, inter sacrum hoc deprecatoris officio pro nobis fungitur. Tunc enim per manus sacerdotis Patri se sistit, ut gratias nobis exoret. Quanta nobis foret nostrorum profectuum fiducia, si sciremus Cœlites omnes una cum Maria Virgine Deum pro nobis precari! At infinite pluris est vel una Jesu Christi precatio quam omnes omnium Sanctorum preces. O nos infortunatos si non haberemus hoc, quod Dei iram miti-

[1]) Adv. Hær. L. 4. c. 32. — [2]) Jo. 16. 23. — [3]) Rom. 8. 34.



Digitized by Google

gat, Sacrificium! *Hujus quippe oblatione*, inquit Tridentinum Concilium,[1] *placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.* Quid plura? Sicut passioni Christi infuit satis efficaciæ ad salvandum universum mundum, ita in sacrificio Missæ satis est virtutis ad dandam omnibus mortalibus salutem. Atque hinc est, quare sacerdos calicis oblationi hæc verba adjungat: *Offerimus tibi Domine, calicem salutaris .... pro nostra et totius mundi salute.*

Ex dictis jam pronum est argumentari, quam severam Deo reddituri sint rationem sacerdotes, qui sacrosanctum hoc sacrificium parum reverenter peragunt. Cum Patri Magistro de Avila renuntiatum esset, de obitu sacerdotis, qui post primam celebratam Missam e vita cesserat: eheu! exclamavit, quam stricte Deus cum eo egisse censendus est ob hanc quam celebravit, Missam! Ubi est, bone Deus, ubi est pietatis ardor, ubi reverentia in tot sacerdotibus, qui sacra Mysteria celebrant? Est Missæ celebratio opus, ut diximus, omnium præ-

---

[1]) Sess. 22. De Sacrif. M. c. 2.

Digitized by Google

stantissimum et sanctissimum, ideoque cum maxima tum interiore tum exteriore devotione peragendum, sicut attestatur Tridentinum Concilium, dicens: *Satis apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendum esse ut, quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, atque exteriori devotionis ac pietatis specie, peragatur;*[1] Verumtamen, o flebile spectaculum! nullum est opus quod a plerisque sacerdotibus magis oscitanter tractetur. Si scenici actoris persona esset sustinenda, afferrent utique istiusmodi actioni animum magis attentum quam sacrosanctæ huic operationi; quam aliqui tam cursim expediunt, ut ne quartam quidem horæ partem in ea absolvenda consumant. Quæ quidem festinatio gravem in se culpam involvit, sicut in nostra Theologia Morali probavimus; cum, intra tam brevis temporis spatium, celebratio perfici nequeat sine notabili verborum ac cæremoniarum mutilatione, nec sine gravi in sacrificium irreverentia, et absque magno eorum, qui sacrificationi interveniunt, scandalo.

[1]) Sess. 22. Dec. de observ. in celebr. 16.



Digitized by Google

### § 2. Quantum reprehendenda sit irreverens Sacrificatio.

Cum in Missæ sacrificio ipse Christus Dominus incruente mactetur, irreverens utique tanti mysterii tractatio digna est quæ cum sanguineis lacrimis defleatur. O infortunatos in die Judicii sacerdotes, qui sacrosanctum hoc opus sine debita reverentia peragunt! Potest sane sacrificium Missæ reddere Deum placabilem omnibus, qui in terra sunt, peccatoribus; sed qui fiat ut Deus placetur sacerdotibus qui, illo ipso tempore, quo placationis sacrificium offerunt, injuriam Ei irrogant? Irreverens enim sacrificatio, quantum in se est, plus contumeliæ Deo infert quam honoris; quandoquidem irreverenter celebrantes Eum offendunt tanquam ipsius Victimæ, quam offerunt, violatores. Est in culpa hæreticus, qui realem Christi præsentiam post consecrationem non credit; sed in majori culpa est, qui eam quidem credit, sed nulla reverentia prosequitur, quique per suam irreverentiam adstantes inducit ad abjiciendam altam illam, quæ majestati tanti Sacrificii debetur, opinionem et æstimationem. Profite-

Digitized by Google

batur initio populus judaicus magnam in Jesum Christum venerationem; sed cum a sacerdotibus eum passim contemptum cerneret, non fuit mora quin priorem illam reverentiam exueret. Atque hoc idem nunc accidit: videt populus Missam irreverenter ac indevote a sacerdotibus tractatam, et continuo sua erga tantum Mysterium reverentia spoliatur. Infundit devota celebratio devotionem adstantibus; indevota autem imminuit reverentiam, imo et fidem adstantium infirmat. Nec mirum: quî enim fieri potest ut sacerdos, qui est hujus Sacrificii minister et Christi Domini corporis depositarius, pietatis affectum in adstantibus moveat, eosque devotionis sensu perfundat, si ipse indevote celebret? Poteritne altam de tanti Mysterii sanctitate et majestate opinionem injicere, si ipse ita se gerit ut sacrificium, quod peragit, potius contemnere quam venerari videatur?

Ast, dicet aliquis, sæculares conqueruntur de sacerdotibus qui Missam lente celebrant. Ergo, respondeo ego, celebrationi afferenda reverentia exili sæcularium devotione metienda est! Sed et hoc adjicio: si omnes sacerdotes Missam cum

debita reverentia ac gravitate celebrarent, profiterentur utique et sæculares majorem erga sacra Mysteria devotionem, nec ullas facerent querelas, etiamsi celebratio ultra semihoram protraheretur. Quoniam vero indevotæ plerumque celebrationi interveniunt, hinc fit ut, hebescente eorum devotione et languescente fide, tædio afficiantur et in querimonias prorumpant, si quem sacerdotem cum debita reverentia sacrum facientem conspiciunt; et quos non tædet per integras horas lusoriæ alicui mensæ adstare, vel præstolari in aliquo atrio, donec ab homine, quem colunt, excipiantur, hi ipsi languescunt tædio, cum semihoram audiendæ Missæ impendere coguntur! Si omnes sacerdotes sacrum facerent, sicut Ministros Christi addecet, eidem sacro omnes pariter sæculares congruo modo interessent, id est cum fide vera et cum vero pietatis affectu.

Jusserat Deus ut sacerdotes prioris Testamenti ad solius Sanctuarii aspectum contremiscerent: *Pavete ad Sanctuarium meum.*[1]) Sacerdotes vero novi Testamenti

[1]) Lev. 16. 2.

Digitized by Google

non ii sunt quibus hujusmodi pavor injiciatur. Hi enim eo audaciæ progrediuntur, ut irreverentissime ad altare coram Verbo incarnato se sistant, ut cum pari irreverentia sacrosanctam Victimam Deo offerant, manibus Eam attractent, ejusque carne vescantur!

Ego vero, dicet quispiam alius, in nulla re necessaria delinquo. Ad cæremonias quod attinet, est res levis si non observentur. Tu qui talia profers, audi quas minas Dominus in Deuteronomio iis intenderit, qui cæremonias veterum sacrificiorum negligenter observabant: *Quodsi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus et cæremonias quæ ego præcipio hodie, venient super te omnes maledictiones istæ et apprehendent te: Maledictus eris in civitate, maledictus in agro.*[1]) Profunderem sanguinem et vitam meam, ajebat S. Teresia, pro qualibet Ecclesiæ cæremonia. Sacerdos vero foret sacrorum rituum inobservans! Negat Suarezius ullas posse citra culpam in Missæ celebratione omitti cæremonias.

[1]) Deut. 28. 15, 16.

Digitized by Google

Quodsi notabilis sit earum neglectus (qualis utique habetur cum sacerdos præproperanter sacrificationem festinat) docent communiter theologi istiusmodi neglectum esse peccatum mortale, tum propter gravem irreverentiam quæ Sacrificio irrogetur, tum propter scandalum quod præbeatur adstantibus, qui sua idcirco erga divina Mysteria veneratione spoliantur. *Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis: in quo despeximus nomen tuum? . . . In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est.*[1]) Contemnunt sacerdotes, irreverenter sacrificando, Mensam Domini, et ideo Mensa Domini fit aliis quoque contemptibilis.

Atque hæc est ratio quare, in tanta sacerdotum multitudine, adeo pauci sancti reperiantur. Recedebat Moyses a divino colloquio Dei amore adeo succensus ut ipse ejus vultus coruscare conspiceretur. Deberet sacerdos hoc eodem modo ab altari recedere, Dei scilicet amore exæstuans. Quid vero? Docet experientia indevote sacrificantes in Dei famulatu esse quotidie frigidiores: recidunt semper in easdem

[1]) Mal. 1. 6. 7.

Digitized by Google

culpas; nihil de eorum in iram proclivitate remittitur; pergunt vivere superbi, gulosi, proprii commodi cupidi, avidi laudis et mundanæ vitæ jucunditatum, perinde ac si ex quotidiana sacrificatione quotidianaque Corporis Domini perceptione ne minimus quidem eis obveniret fructus. Quodsi in tantæ calamitatis causam indagamus, respondet Bona Cardinalis:[1] *defectus non in cibo est, sed in edentis dispositione.*

### § 3. Quid agendum sit sacerdoti ante et post Missam.

Ut vero ad mihi propositum argumentum revertar, non dubito affirmare, causam primariam cur tot sacerdotes adeo mendose vivant, et tam indevote atque irreverenter sacrificent, in hoc reponendam esse, quod plerique ad altare accedunt quin Rem divinam, quam peracturi sunt, mente perpendant. Accedunt videlicet aut spe quæstus ducti, aut impulsi vi consuetudinis, sine congrua animi dispositione et sine debita ad tantum tractandum mysterium præparatione.

Ad animi dispositionem quod attinet, duo prærequiruntur ad copiosum ex sacri-

[1]) De Sacr. Miss. Sacrif. c. 6. § 6.

Digitized by Google

ficatione percipiendum fructum: desiderium videlicet proficiendi in divio amore, et cordis ab amore terrestrium disjunctio. Cor enim, quod terrestrium amor opplet, est Dei amori plane impervium.

Ad præparationem dein quod attinet, hæc ita facienda est ut semihora, aut saltem quadrans horæ in ea transigatur. Quid enim? Potestne sacerdos Missam devote celebrare, si ex sæcularibus negotiis profanisque colloquiis ita imparatus altare conscendit, ut vix animum in sacrosanctum opus, quod tractaturus est, intendat?

Sunt multi iique egregii auctores, inter quos Bona Card., P. Molina, P. Mansi, P. Sabattini, qui præparationem ad Sacrum enixe commendarunt, quique, ut eam Sacerdotibus redderent faciliorem, piissimas Considerationes conscripserunt. At vero, quam pauci sunt illi, qui huic, sicut addecet, officio satisfaciant! His paucis ut fieret accessio, inivi consilium præsentem conscribendi libellum, qui pariter præparationi ad Missam inserviret. In eo autem conscribendo, brevitati ex industria consului, erectus in spem fore ut sacerdotes quibus longior oratio mentalis displicet,

Digitized by Google

concisas saltem has considerationes attente perlegerent, in piisque, quos eisdem admiscui, eliciendis actibus immorarentur.

Considerationibus adjeci pios affectus et precationes, quæ, peracta Re divina, gratiarum actioni inservirent. Est enim gratiarum actionis omissio alterum vitium, ob quod multi sacerdotes perexiguum fructum ex sacrificatione percipiunt. O triste spectaculum! Missam vix expediverunt, cum ex sacra statim æde, garrituri nugas, aufugiunt. Incumbunt quidem ascetici auctores et in hanc alteram curam, ut sancta Communione refectos ad orationem mentalem impellant. Sed quam pauci sunt qui piæ admonitioni obsequuntur! Reperiuntur et viri Regulares, qui, quamvis solitariam vitam agant et magnam quotidie temporis partem in sacris meditationibus consumant, illud tamen parum curant, ut post Sacrum in longa gratiarum actione permanentes, arctius cum Deo sese conjungant. O quam damnosa est hæc incuria! Docent enim multi iique graves auctores, sacram Communionem, quamdiu sacramentales species perdurent, eo uberiores facere fructus, quo numerosiores

Digitized by Google

sint actus, quibus anima ad divina recipienda charismata tunc sese disponat; et subjiciunt, bonis actibus, qui post communionem fiant, plus inesse valoris et apud Deum meriti, quam actibus qui alio tempore eliciantur; tum quia anima post Communionem remaneat cum Christo arctissime conjuncta, sicut ipse attestatur dicens: *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo;*[1]) tum quia Dominus tunc sit magis propensus ad suas elargiendas gratias. Sedet Christus Dominus in anima post Communionem, teste S. Teresia, tanquam in gratiarum throno, hanc emittens vocem: *quid tibi vis faciam?*[2]) Postula tibi gratias; ad hoc enim veni ut tibi benefacerem; pete tibi quidquid volueris; omnibus tuis ego annuam petitionibus. Atque hinc est cur P. Balthasar Alvarez, et omnes mystici Doctores affirment, tempus quod sacram Communionem subsequatur in singulari habendum esse pretio. Solebat Venerabilis Magister Avila (sicut in ejus Vita legitur) duas ad minimum horas, post

[1]) Jo. 6. 57. — [2]) Marc. 10. 51.

sacrum, in gratiarum actione transigere, hancque consuetudinem tam religiose servabat, ut nec illo tempore, quo erat in sacris obeundis Missionibus occupatus, ab ea recederet. Sane non postulo ut tu idem institutum teneas; at hoc saltem cura ut, quotidie, post celebratam Missam, gratiarum actioni per semihoram vaces.

Nec a nostro argumento alienum est paucis hic declarare quid pius quidam auctor de iis sentiat, qui sacrificationem præ humilitate omittunt. Non celebro Missam, ajunt nonnulli, quia celebratione me indignum agnosco. His præfatus auctor sic respondet: est utique actus bonus sacrificationem præ humilitate omittere, sed non est optimus. Tribuunt quidem Deo honorem actus humilitatis, sed honorem finitum, quia illi actus proveniunt a nobis. Honor contra, qui Deo per Missæ sacrificium exhibetur, est infinitus, propterea quod tribuitur a Persona divina; et ideo in multo majorem Dei gloriam redundat sacrificatio, cui præit congrua præparatio, quam sacrificationis prætermissio ex inopportuna humilitate.





# PRÆPARATIONES AD MISSAM ET GRATIARUM ACTIONES POST MISSAM CELEBRATAM.

## * SERIES PRIMA.

(Ex Missali Romano.)

I.

### Præparatio ad Missam.

*Antiphona.* Ne reminiscaris, * Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

*Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum duplicatur. Tempore Paschali additur in fine* Alleluja.

*Psalmus 83.*

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Digitized by Google

Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant

Digitized by Google

in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. Gloria Patri, *etc.*

*Psalmus 84.*

Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ; operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super Sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, *etc.*

*Psalmus 85.*

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.



Digitized by Google

Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine, Deus miserator et misericors: patiens, et multæ misericordiæ et verax.

Respice in me, et miserère mei: da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vi-

Digitized by Google

deant qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri, *etc.*

*Psalmus 115.*

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri, *etc.*

*Psalmus 129.*

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam.



Digitized by Google

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, *etc.*

*Deinde repetitur Antiphona:* Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

*Postea Sacerdos dicit:* Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, *etc.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi, Domine, miserere mei.

℟. Sana animam meam: quia peccavi tibi.

Digitized by Google

℣. Convertere, Domine, aliquantulum.
℟. Et deprecare super servos tuos.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et sancti tui exsultent.
℣. Ab occultis meis munda me Domine.
℟. Et ab alienis parce servo tuo.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum; ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto

Digitized by Google

corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus, Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos, qui post antecedentes Psalmos, Antiphonam, Versiculos et Orationes recitat, die designata, unam ex sequentibus septem Orationibus S. Ambrosii Ep., lucratur Indulgentiam *unius anni* (Leo XIII. - Resc. S. Cong. Ind. - 20 Dec. 1884.)

Digitized by Google

## Orationes S. Ambrosii Ep.
### Die Dominica.

Summe Sacerdos, et vere Pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara Crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum et Sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis:* rogo per eumdem Sanguinem tuum, magnum salutis nostræ pretium, rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo: doce me servum tuum indignum, quem inter cætera dona tua, etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ; doce me, quæso, per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet.

Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogi-

Digitized by Google

tare, quod tibi placet, et expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui repelle a me, et a cunctis servis tuis, durissimum superbiæ et cœnodoxiæ, invidiæ et blasphemiæ, fornicationis et immunditiæ, dubietatis et diffidentiæ spiritum. Confundantur, qui nos persequuntur, pereant illi, qui nos perdere festinant.

### Feria II.

Rex virginum, et amator castitatis et integritatis, cælesti rore benedictionis tuæ exstingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animæ. Mortifica in mem-

Digitized by Google

bris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate; ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animæ puritate istud divinum et cæleste sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es Sacrificium et Sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

Feria III.

Quis digne hoc mysterium celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vere scio, et idipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mun-

Digitized by Google

dum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali et cælesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria IV.

Ego enim, Domine, memor venerandæ Passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, et offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro populo, quem acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum, eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse et redemptio. Profero etiam, Domine, (si digne-

Digitized by Google

ris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationem languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria V.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces

Digitized by Google

suggere, quas ipse propitius audire, et exaudire delecteris.

Feria VI.

Rogamus etiam te, Domine sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de cælo descendisti et das vitam mundo, de tua carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto et glorioso Beatæ Virginis Mariæ utero est assumpta, et de Spiritu sancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit, ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati exsultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, et sanctificatio tuæ divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis, incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et San-

Digitized by Google

guinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium, tam vivorum quam defunctorum.

Sabbato.

Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad Altare tuum accedam, ita ut hæc cælestia Sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. . . Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, . . Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam, præter te, sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum,

Digitized by Google

et omnem saporem, qui nos semper reficis, et numquam in te deficis: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno; manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de cælo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animæ et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes; recedant procul a præsentia potentiæ tuæ, ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam; ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

**Oratio S. Thomæ Aquinatis.**

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi; accedo tamquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissimè Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem

Digitized by Google

nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia *centum dierum* (Resc. cit.).

**Oratio S. Ambrosii Episcopi.**

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio; et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Jesu

Digitized by Google

Christe, Rex æterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis et pretiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo Sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea; ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum; et concede, ut hæc sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Indulgentia *centum dierum.* (Resc. cit.)



Digitized by Google

### Oratio ad B. V. Mariam.

O Mater pietatis et misericordiæ, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori, et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus clementer adsistere digneris, ut tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem Hostiam in conspectu summæ et individuæ Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Indulgentia *centum dierum.* (Leo XIII. Resc. S. Cong. Indulg. 17 Febr. 1883.)

### Oratio ad S. Joseph Sp. B. V. M.

O felicem Virum beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi Reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre, et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

℣. Ora pro nobis Beate Joseph.

℟. Ut digni efficiamur *etc.*

Digitized by Google

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis regale Sacerdotium, præsta quæsumus, ut sicut Beatus Joseph Unigenitum Filium tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis Altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro sæculo præmium habere mereamur æternum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulgentia *centum dierum.* (Pius IX. Resc. S. Cong. Indulg. 4 Feb. 1877.)

**Oratio ad omnes Angelos et Sanctos.**

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes cœlorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctæ Dei, præsertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem et gloriam nominis sui, et ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ. Amen.

Indulgentia *centum dierum* (Leo XIII. Resc. S. Cong. Indulg. 20 Dec. 1884).



Digitized by Google

**Oratio ad Sanctum, vel Sanctam, cujus eo die festum celebratur.**

O Sancte N., ecce ego miser peccator, de tuis meritis confisus offerre nunc intendo sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi pro tuo honore et gloria. Precor te humiliter et devote, ut pro me intercedere digneris, ut tantum Sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, et eum tecum, et cum omnibus electis ejus æternaliter laudare, atque cum eo semper regnare valeam. Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

**Directio intentionis ante Missam.**

Ego volo celebrare Missam et conficere Corpus et Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi juxtu ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiæ militantis; pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Digitized by Google

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Indulgentia *quinquaginta dierum.* (Gregor. XIII.)

**Alia intentionis forma.**

Ad laudem et gloriam sanctissimæ Trinitatis, in memoriam benedicti Salvatoris nostri Jesu Christi vitæ, passionis, mortis et resurrectionis, ac in operum et meritorum suorum omniumque sanctorum unionem; ad laudem quoque et exaltationem beatissimæ semper Virginis, ejus matris Mariæ, cœlestium Angelorum, Sanctorum atque Sanctarum, et signanter N. N. et aliorum devotorum meorum; offero etiam cum ipsorum beatorum spirituum laudibus, Sanctorum omnium precibus et meritis, nunc et semper hoc et omnia alia sacrificia, officia, orationes et bona opera totius mundi, pro meis præsentibus et futuris animæ et corporis necessitatibus; in auxilium et consolationem meam, et in remissionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem semper habeo et

Digitized by Google

habere intendo, conor et cupio; omniumque vivorum et defunctorum meorum parentum, fratrum, sororum, consanguineorum, amicorum, inimicorum, benefactorum in spiritualibus et temporalibus, superiorum, subditorum, ac illorum, quibus fui gravamen, scandalum et occasio peccandi, pro omni gradu sanctæ catholicæ Ecclesiæ, ac illius conservatione, augmento et exaltatione; christianorum principum unione et concordia, hæresum exstirpatione, Summi Pontificis salute, et animarum in purgatorio existentium liberatione; pro conservatione et augmento omnium observantium religionum, pro conversione omnium infidelium nationum, pro mihi commissis et commendatis, denique pro illis omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus, et ejus beatissima mater et Virgo Maria sciunt et volunt me debere orare, obsecrare, consecrare et sacrificare intendo et propono, ac juxta intentionem sanctæ catholicæ Ecclesiæ et meorum Superiorum pro debito voluntatem.

Ego N. minister, licet indignus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Cum intentione lucrandi et acqui-

Digitized by Google

rendi omnes quotcumque possum indulgentias.

### * Quinque Puncta ante vel post Missam facienda.

I. Detestor et abominor omnia et singula peccata mea, et omnium aliorum commissa ab initio mundi usque in hanc horam, et deinceps usque ad finem mundi committenda: et, si possem, impedirem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

II. Laudo et approbo omnia bona opera, facta a principio mundi usque in hanc horam, et deinceps usque in finem mundi facienda: et, si possem, ea multiplicarem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

III. Intendo omnia facere, dicere et cogitare ad majorem Dei gloriam, cum omnibus illis bonis intentionibus, quas sancti umquam habuerunt, vel habebunt vel habere possunt.

IV. Ignosco et dimitto ex toto corde meo omnibus inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocumque

Digitized by Google

modo mihi nocentibus, vel volentibus mala.

V. Utinam omnes homines salvare possem moriendo pro singulis! Libenter id facerem per gratiam Dei, quam propterea suppliciter imploro, et sine qua nihil possum.

## II.

## Gratiarum actio post Missam.

*Antiph.* Trium puerorum * cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

*In duplicibus dicitur integra, et tempore Paschali additur:* Alleluja.

*Canticum trium puerorum.* Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.

Digitized by Google

Benedicite omnis imber et ros Domino benedicite omnis spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino: benedicite frigus et æstus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebræ Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animæ justorum

Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæcula.

*Psalmus 150.*

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, *etc.*

*Antiph.* Trium puerorum cantemus hy-

Digitized by Google

mnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Exsultabunt Sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus suis.
℣. Non nobis Domine, non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Da nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato

Digitized by Google

Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

## Orationes post celebrationem et communionem dicendæ.

### Oratio S. Thomæ Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor, ut hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, caritatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum meorum, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque

finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

### Oratio S. Bonaventuræ.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera ani-

Digitized by Google

mæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

**Rhythmus S. Thomæ Aquinatis ad sacram Eucharistiam.**

Adoro Te devote, latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur;
Credo quidquid dixit Dei filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In Cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere,
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini:
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

Indulgentia *centum dierum.* (Resc. cit.)

Digitized by Google

**Oratio ad D. N. Jesum Christum.**

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut Passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar: vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter; aspersio Sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exsultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia *trium annorum.* (Pius IX. Rescr. S. Cong. Indulg. 11 Dec. 1846.)

*** Alia oratio post communionem.**

Anima Christi sanctifica me. — Corpus Christi, salva me. — Sanguis Christi, inebria me. — Aqua lateris Christi, lava me. — Passio Christi, conforta me. — O bone Jesu, exaudi me. — Intra tua vulnera absconde me. — Ne permittas me separari a te. — Ab hoste maligno defende me. — In hora mortis meæ voca me. — Et jube me venire ad te. — Ut cum sanctis tuis laudem te. — In sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia *septem annorum* singulis diebus. Indulgentia *Plenaria* semel in mense, si quotidie dicantur. (Pius IX. Rescr. S. Cong. Indulg. 9 Jan. 1854.)

Digitized by Google

*** Oblatio ac sui ipsius donatio.**

Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Indulg. 300 dier. (Leo PP. XIII. 26 Maji 1883.)

*** Oratio dicenda ante imaginem Ss. Crucifixi.**

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos Fidei, Spei et Caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum pœnitentiam eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere: dum magno animi affectu et dolore tua quinque Vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud præ oculis habens, quod jam in ore ponebat tuo David Propheta de Te, o bone Jesu: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Indulgentia *plenaria*, dummodo per aliquod temporis spatium, juxta mentem Summi Pontificis, oretur. (Pius IX. Rescr. S. Indulg. 31 Julii 1858.)



Digitized by Google

### * Oratio ad B. V. Mariam.

O Maria, Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti, atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cujus aspectu lætabaris et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repræsento, et offero tuis brachiis constringendum, tuo corde amandum sanctissimæque Trinitati in supremum latriæ cultum, pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo te, piissima Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemque gratiam ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indulgentia *centum dierum.* (Leo XIII. Rescr. S. Congr. Indulg. 20 Dec. 1884.)

### * Oratio ad S. Joseph Sponsum B. M. V.

Virginum Custos et Pater Sancte Joseph, cujus fideli custodiæ ipsa Innocentia Christus Jesus et Virgo virginum Maria

Digitized by Google

commissa fuit, Te, per hoc utrumque carissimum pignus Jesum et Mariam, obsecro et obtestor ut me ab omni immunditia præservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariæ semper facias castissime famulari. Amen.

Indulgentia *centum dierum.* (Pius IX. Rescr. S. Congr. Indulg. 4 Febr. 1877.)

**Piæ petitiones post celebratam Missam.**

Quoniam tu, o bone Jesu, qui es vera vita, ad me venire dignatus es, fac sim, precor, omnibus rebus creatis ita mortuus, ut tibi soli vivam. Absume in me flammis tui amoris quidquid in me tibi displicet, et imprime in animo meo verum tibi placendi desiderium et sanctam cupidinem ea sola faciendi, quæ tibi sunt magis accepta.

Da mihi veram illam humilitatem, quæ me reddat hominum contemptus ac propriæ meæ ignobilitatis amantem, quæque omne in me mundanæ gloriæ desiderium exstinguat. Da mihi spiritum mortificationis, quo ductus universa mihi abnuam, quæ non collineant ad tui amorem, et amanter amplectar quidquid sensus respuunt, et pravus mei ipsius amor aversatur.



Digitized by Google

Da mihi perfectum cum tua voluntate consensum, ita ut amanter amplectar dolores, infirmitates, fortunæ jacturas, consanguineorum orbitates, animi desolationes, iniquas hominum vexationes, et omnes res adversas, quas tua Providentia in me immissura est. Totum me tibi offero, rogans ut tu de me meisque universis, prout tibi placuerit, disponas; et adprecor mihi gratiam jugiter universalem hanc mei oblationem tibi renovandi, et speciatim mortis meæ tempore. Fac ut ego tunc, toto cordis affectu, tibi vitam meam in sacrificium offeram, istudque meum sacrificium conjungam cum illo sacrificio, quod olim tibi, æterne Pater, obtulit Christus Jesus, cum mea causa in cruce mortuus est. O mi Jesu, affunde mihi lumen ut cognoscam quanta tua sit bonitas, et quam arctam ego contraxerim obligationem amandi te, ob illum speciatim amorem, quem tu, moriendo pro me et donando teipsum in sanctissimo Sacramento, mihi tam largiter exhibuisti.

Perfunde etiam tuo lumine, precor, multos illos Infideles, qui ignari tui vivunt, omnes hæreticos, qui extra Ecclesiæ gre-

Digitized by Google

mium versantur, omnesque illos infortunatos Christianos, qui gratia tua exciderunt. O Jesu, fac cognoscaris, fac ut ameris. Commendo tibi pariter omnes in Purgatorio detentas animas, præprimis animam N. N. Leva eis quos patiuntur dolores, et contrahe tempus quod eis adhuc est transigendum ante beatificæ tui visionis consecutionem. Per tua merita et per merita B. Mariæ Virginis Sanctorumque omnium, dignare, precor, huic meæ annuere precationi.

Mi Deus, accende me totum igne amoris tui, ita quidem ut nihil quæram nisi quod tibi gratum est, ut nihil me delectet nisi quod tibi placet, utque ex meo corde, quidquid tibi non probatur, expellam. Fac ut toto cordis affectu hæc semper verba iterem: Deus, mi Deus, te solum volo et præter te nihil.

O mi Jesu, redde me Passioni tuæ devotum: ita devotum, ut mentem jugiter in contemplatione tuorum cruciatuum tuæque mortis defixam teneam, ad exardescendum in majorem quotidie amorem tui, et ad excitandum in me desiderium remu-

Digitized by Google

nerandi parvo aliquo munere tantam, qua me prosecutus es, caritatem tuam. Redde me etiam multum devotum sanctissimo Altaris Sacramento, in quo nobis mirum tuum in nos amorem patefacere dignatus es. Precor insuper, ut et B. Virgini Mariæ, parenti tuæ, me reddas amanter devotum. Fac ut eam semper diligam, semper ei famuler, semper ad eam confugiam, aliosque ad eam colendam et ejus confidendum patrocinio, tum voce tum exemplo, inducam. Præterea concede mihi, et toti populo christiano, spem firmam, primum in merita Passionis tuæ, deinde in Mariæ Virginis intercessionem.

Precor etiam ut mihi gratiam sanctæ mortis largiaris. Da ut morti vicinus te tam pie in viaticum suscipiam, ut amore teque videndi desiderio succensus, ex hac vita, in tuo amplexu, discedam, tuos deosculaturus pedes, ubi primum in tui conspectum mihi venire contigerit.

Præ omnibus autem te, o bone Jesu precor, ut mihi gratiam precationis elargiaris, pretiosissimam illam gratiam, qua jugiter impellar ad me commendandum

Digitized by Google

tibi et sanctissimæ tuæ Matri, omni quidem tempore, sed præsertim tempore tentationis. Per tua merita, concede mihi etiam sanctam in tuo famulatu perseverantiam et sanctum tui amorem.

Benedic mihi, o Jesu, et benedic rebus meis omnibus: benedic animæ meæ meoque corpori, benedic sensibus meis meisque potentiis; speciatim autem benedic linguæ meæ, ita ut ipsa de iis solis, quæ in tuam gloriam cedunt, loquatur; benedic oculis meis, ita ut nihil aspiciant, quod ad displicendum tibi me induceret; benedic palato meo, ut nullo se intemperantiæ actu coinquinet; benedic omnibus corporis mei membris, ita ut nullum sit quod tibi non serviat, nullum quod te offendat; benedic memoriæ meæ, ita ut ipsa semper de caritate, qua me dilexisti, et de beneficiis, quibus me cumulasti, recordetur. Benedic menti meæ, ita ut magnitudinem bonitatis tuæ contuens, cognoscat quantum amari merearis, et videat tum quæ vitanda, tum quæ facienda sint, ad reddendum me cum corde tuo plane concordem; sed præ omnibus, benedic voluntati meæ, ita ut nihil aliud, nisi te solum diligat, nihil aliud, nisi

Digitized by Google

quæ tibi sunt placita, appetat, in illisque tantum rebus oblectetur, quæ ad amplificandam gloriam tuam spectant.

Veni, o mi Rex, et esto unicus animæ meæ Dominus; tu solus ita illa potire, ut sit tota amoris tui mancipium, nec aliud quidpiam sibi jam desideret, nisi optatissimam tibi in omnibus famulandi sortem.

O utinam penes me esset mori pro te, o Jesu, qui vitam tuam pro me dare dignatus es!

Agnus Dei, qui mactatus es in ara crucis, recordare quæso, unam me esse ex illis animabus, quas tu tanto labore ac sudore redemisti. Ne permittas me unquam jacturam facere tui. Tu totum te ipse mihi donasti; fac sim ego quoque totus tuus, nihil jam aliud curans, nisi ut tibi placeam. Amo te, quia amore dignus es. Nihil me magis contristat quam cogitatio, in sæculo me tam diu vixisse amoris tui immemorem.

O mihi care Redemptor, da mihi partem illius doloris, quem ex meis peccatis percepisti, cum in Horto Gethsemani positus in agonia, sanguinem sudares. O

Digitized by Google

utinam, antequam tibi displicerem, mori mihi contigisset! O mei Jesu amor, tu es amor meus, tu spes mea. Malo exhinc millies mori, quam tua excidere gratia.

Si mortuus essem, dum in statu peccati versarer, jam adempta mihi foret amandi te potestas. Ago tibi gratias quod tempus amandi te mihi adhuc largiris, quodque ad te amandum me allicis. Quoniam igitur penes me est amare te, volo te amare ex tota anima mea. Tu eo fine exspectasti me, ut amarem te; volo igitur explere tuam exspectationem, tuoque vivere amori. Per illum sanguinem, quem pro me fudisti, oro atque obtestor te, ut non permittas me unquam separari a te. *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Quid mihi opus est mundo? Quid divitiis? Quid oblectamentis? Quid honoribus? Deum, Deum solum volo, et extra Deum nihil. Ita plane, o Deus, cum tu sis summum Bonum, extra te nihil appeto.

O mi Jesu, conjice me totum in amorem tui, et allice tibi omnes cordis mei affectus tam fortiter ut nihil jam præter te amare valeam. Fac, antequam moriar, sim totus tuus.

Digitized by Google

Quamdiu vivam, versabor in periculo faciendi jacturam tui. O quando illucescet ille dies, quo dicere licebit: mi Jesu, non amplius fieri potest, ut ego te orber.

Æterne Pater, ne dedignare me. Adnumera me tuis amatoribus, et infunde mihi amorem tui. Volo in hac vita multum amare te, ut possim et in altera amare te multum.

Amo te, o infinitum Bonum; tu vero fac cognoscam præcellentiam boni, quod amo, et da mihi illum, quem a me tibi vis, amorem. Fac ut deinceps nihil eorum omittam, quæ tibi grata esse cognovero. Amen.



## SERIES SECUNDA.



### Die Dominica.

**Præparatio ad Missam.**

*De stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.*[1])

---

[1]) Ps. 112. 8.

Digitized by Google

Considera, sacerdos et perpende, tam excelsam tibi concessam esse dignitatem, qua excelsiorem hac in terra consequi nequires. Cum enim Deus procurationem illorum negotiorum, quæ ad majorem suam gloriam spectant, tibi commiserit, numquid ad sublimiorem gradum honoris te evehere potuisset? Elegit te, ut suum altare conscenderes, et proprium ei Filium in sacrificium offerres. Quam multæ ei faciendæ erant electiónes, ut hoc te honore insigniret! Primum elegit te ex innumerabilibus, quæ mere possibiles sunt, creaturis, ut humanæ naturæ te faceret participem; deinde ex millenis infidelibus atque hæreticis elegit te, quem veræ Ecclesiæ et catholicorum cœtui aggregaret; postremo ex tot catholicæ religionis cultoribus elegit te, quem sacerdotali munere exornaret.

Si unus duntaxat homo in toto terrarum orbe reperiretur, penes quem foret potestas arcessendi de cœlis in terras Verbum Incarnatum, et eripiendi animas ab inferorum suppliciis, absolvendo eas a reatu peccatorum, o quanta foret omnium de hujusmodi homine opinio! Hic vero quantas indesinenter rependeret Deo gratias!

Digitized by Google

Ecquid ejus causa non ageret, videns se, præ cæteris omnibus, ad tale dignitatis fastigium provectum! Tu vero recogita tecum, o sacerdos, multitudinem eorum, qui sacerdotale pariter munus sortiti sunt, minime efficere, ut minor tua sit dignitas minorque tuæ gratiæ debitio.

Optimo proinde jure reposcit Deus, ut omnis sacerdos sit totus suus. Sacerdos appellatur in sacra Scriptura: *homo Dei*, id est, homo soli Deo deditus. Extendebant sacerdotes veteris Testamenti manus super victimas, ad significandum, se propriam quoque vitam, una cum vita animalium, quæ immolabant, in sacrificium Deo offerre. Similiter sacerdotes novi Fœderis manus suas super oblata extendere jubentur ad innuendum, debere se conjunctim cum vita Jesu, quam inter Sacrum Deo offerunt, propriam quoque vitam immolare seque totos Deo offerre in sacrificium.

Ecce, venit jam tempus conscendendi altare, ubi post pauca a te prolata verba, Verbum æternum inter manus tuas descendet, et panis vinique substantia in Christi Domini corpus et sanguinem convertetur. Accedis ad altare tanquam legatus totius

Digitized by Google

humani generis, deprecaturus Deum pro Ecclesia et omnibus hominibus. Tu igitur compara te ad tantum officium piis, qui subsequuntur, affectibus.

**Pii affectus.**

Plane ita est, Domine: in me impleta video quæ olim effatus est David, inquiens: *de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui.* Et sane vilis homo ego sum, homo reus, et propter commissa delicta jam dudum dignus, qui apud inferos dæmonum pedibus conculcarer, quique in perpetuum ab omnibus, et etiam a te, o mi Deus, derelinquerer; et ecce! accedo ad sacrificationem, accedo ad altare, ut ipsum tuum Filium tibi in sacrificium offeram. Mox ad meam vocem Rex cœli in aram descendet; mox in meis ego manibus Verbum æternum tenebo, quod, posteaquam in sacrificium tibi obtulero, in cibum mihi sumam, ita ut sacrosancta ejus carne vescar.

Itane, o Deus animæ meæ, ego sum sacerdos, ego qui tibi toties tergum verti, renuntiando gratiæ tuæ tuoque amori, ego qui cum vana aliqua gloriola, cum fugaci

Digitized by Google

ac venenata aliqua voluptate amicitiam tuam commutavi! Qui igitur fieri potuit ut me ingratum, præ tot innocentibus, tibique semper fidelibus servis, in sacerdotem eligere dignatus sis!

Collustra, Domine, tuo lumine mentem meam et adauge mihi fidem. *Noverim me, noverim te.* Fac inspiciam, quis tu sis, tu qui hodie mihi te ipse donaturus es, et quis sim ego qui te suscepturus sum. Fac benigne, antequam altare conscendam, ut anima mea, per merita tui Sanguinis, a multis suis sordibus emundetur. O Jesu, antequam inter meas manus et in cor meum venies, remitte mihi omnia, quæ in te commisi peccata. Offendi te, o Summum Bonum, tibique displicui. Tu vero da mihi veniam; doleo enim ex toto corde meo, quod in te peccavi.

Credo, mi Redemptor, te esse Filium Dei; credo, te mortem pro me obiisse, et voluisse temetipsum donare in SS. Sacramento, ut a sacerdotibus in sacrificium offerreris, et fieres nostrarum animarum cibus. Spero a te, propter passionem tuam tuaque promissa, gratiam semper hinc in

Digitized by Google

posterum te amandi et in æternum perfruendi te in cœlis. Amo te, o mihi care Redemptor; amo te plus quam meipsum, et quia amo te, doleo ex toto corde meo de omnibus, quæ unquam commisi, peccatis; horum omnium me pœnitet, quia peccando, tibi, Bonitas infinita, displicui. Amo te, mi Deus, sed eheu! nimis frigide. Cupio amare te, quantum te amare debet sacerdos; et cum illo te recipere amore, quocum te recipiunt tam multæ animæ, quæ sunt tui amore sauciæ. Tu igitur, accende in me, precor, tui amoris ignem, et fac benigne ut sim totus tuus.

Offero tibi, æterne Pater, hoc sacrificium in gratiarum actionem pro universis in homines collatis beneficiis, et maxime pro beneficiis concessis sacrosanctæ Christi Jesu humanitati, Beatissimæ Virgini Mariæ, Angelo Custodi mei, omnibusque sanctis meis Patronis. Mihi vero efflagito, per Filii tui merita perseverantiam in bono usque in finem, sanctum amorem tui, omnesque gratias, quas Jesus et Maria meique sancti Patroni mihi a te exposcunt.

Memento etiam, Domine eorum, quos tibi nunc commendo.

Digitized by Google

I. Commendo tibi Summum Pontificem, totum cœtum prælatorum, confessarios, prædicatores et sacerdotes. Elargire eis spiritum ac zelum, ut studiose animabus salvandis incumbant.

II. Commendo tibi meos parentes, propinquos, amicos et inimicos, moribundos, omnesque fideles, qui sunt apud te in gratia. Fac, Domine, ut in ea perseverent et in tuo amore quotidie progrediantur.

III. Commendo tibi denique omnes hæreticos et peccatores. Dona eis lumen ac robur, ut in tui cognitionem atque amorem deveniant.

Præterea commendo clementiæ tuæ animas defunctorum, scilicet:

I. Animas parentum, benefactorum, amicorum et inimicorum, eorumque omnium, qui mea causa in Purgatorio detinentur.

II. Animas sacerdotum, illorum præsertim qui salvandis animabus magis allaborarunt.

III. Animas illorum, qui fuerunt passioni Jesu Christi, sanctissimo Sacramento et Deiparæ Virgini Mariæ magis devoti; animas quarum nulla fit vel rara tantum

Digitized by Google

recordatio, animas, quæ acerbiores pœnas sustinent; et postremo animas, quæ mox in eo sunt, ut in paradisum recipiantur.

**Gratiarum actio.**

Antequam ad altare accessi, adoravi te, dulcissime Jesu, mihique carissime Redemptor, sedentem in solio gloriæ tuæ ad dexteram Patris; nunc vero adoro te in meo pectore, velatum sub humilibus panis ac vini speciebus, factumque animæ meæ cibum et potum. Benedictus sit tuus in animam meam ingressus! Pro eo, ex intimo corde ago tibi gratias, et quæ forent tanto beneficio pares, eas tibi rependere opto. At quonam meliori modo posset pauper ruricola suam gratiarum actionem proprio principi, qui eum in suo tugurio inviseret, attestari, quam procidendo ad venientis pedes, tacitoque tantam demirando et laudando dignationem? Ad tuos igitur pedes, Jesu mi, o Rex cœlestis, me prosterno, sicque prostratus adoro te ex abysso nihili mei. Conjungo adorationem meam cum illa, qua te coluit Beatissima Virgo Maria, cum te in sacrosanctum suum uterum recepit; et quo ipsa te prosecuta



Digitized by Google

est amore, eodem et ego te prosequi cupio. Tu, mi Redemptor, obediens verbis meis, de cœlo hodie in manus meas descendisti. Ego vero, quoties eheu! legum tuarum spretor, tergum tibi ingratus verti, et gratiam tuam tuumque amorem procax rejeci. Spero utique me delictorum meorum jam impetrasse veniam. Verumtamen si, culpa mea, eam nondum impetravi, supplex nunc te, o bone Jesu, oro, ut eam mihi largiaris, quandoquidem, quod te, infinita Bonitas, offendi ex toto corde me pœnitet.

O utinam te, Domine Jesu, semper amavissem! Ab illo saltem die, quo primum sacrum feci, debuissem totus tui amore flagrare. Ex millibus tu me tibi in sacerdotem atque amicum elegisti. Quid jam ultra tibi faciendum erat, ut omnem tibi meum amorem conciliares? Ago tibi gratias quod tempus mihi concedis faciendi, quod hucusque facere omisi. Volo te ex toto corde meo amare; nec aliud mihi jam in votis est, nisi ut omnes mentis meæ affectus ad te solum dirigam, qui tot ac tantis me beneficiis ad te redamandum obstrinxisti.

Digitized by Google

*Deus meus et omnia!* Quid mihi opus est divîtiis, quid honoribus, quid oblectamentis! Tu mihi omnia es. Tu solus eris deinceps unicum meum bonum, amor meus unicus. Lubet in hanc cum D. Paulino prorumpere vocem: *Sibi habeant divitias suas divites, regna sua reges; mihi Christus gloria et regnum est:* potiantur regnis suis reges, fruantur divitiis suis divites, tu solus, o mihi care Jesu, eris meum regnum meæque divitiæ. Da mihi, precor Pater æterne, per amorem Filii tui, quem in sacrificium tibi obtuli in meumque cor recepi, perseverantiam in tua gratia et sanctum amorem tui. Commendo tibi etiam propinquos meos, amicos et inimicos, animasque, quæ in Purgatorio expiantur; sicut et omnes miseros peccatores.

O Mater mea Maria, impetra mihi sanctam perseverantiam et Jesu Christi amorem.

### Feria II.

**Præparatio ad Missam.**

*Hoc facite in meam commemorationem.*[1])

Non desunt probati theologi qui ex his verbis concludunt, debere sacerdotes inter

[1]) Luc. 22. 19.



Digitized by Google

Missæ celebrationem recordari de Jesu Christi passione et morte. Atque hoc idem exigere videtur Apostolus ab iis qui ad sacram Communionem accedunt, dicens: *quotiescunque manducabitis Panem hunc et Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*[1]) Scribit D. Thomas, ideo a Christo Domino institutum fuisse Corporis sui ac sanguinis Sacramentum, ut et bonorum, quæ ipse nobis comparasset, et charitatis quam nobis in sua passione demonstrasset, memoria nostris mentibus perpetuo inhæreret. *Ut autem* (hæc sunt Beati Doctoris verba) *tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum Fidelibus dereliquit.*[2]) Quamobrem idem B. Doctor appellat SS. Sacramentum *Passionis memoriale.*

Tu igitur pie tecum considera, sacerdos, sacrosanctam victimam, quam in sacrificium oblaturus es, illum eumdem esse Dominum, qui suam pro te vitam et sanguinem profudit.

Nec mera tantum Dominicæ Passionis memoria est Missæ sacrificium; est insuper

[1]) I. Cor. 11. 26. — [2]) *Offic. SS. Sacram.* Lect. 4.

idem sacrificium, cum utrobique idem Sacrificator, eademque Victima, id est incarnatum Verbum, reperiatur. Tota sacrificiorum diversitas in sacrificationis modo habetur: alterum scilicet sacrificium fuit cruentum, alterum autem est incruentum; in priore Christus mortuus est realiter, in posteriori moritur mystice. Ad rem sic Tridentinum:[1]) *Una eademque est Hostia . . . sola offerendi ratione diversa.* Tu igitur finge tibi cogitatione, cum sacrum facis, stare te in Monte Calvario, ut sanguinem et vitam Christi Domini Deo offeras; et cum Eucharistiam sumis, ebibere te pretiosissimum, qui ex Salvatoris vulneribus profluit, sanguinem.

Considera præterea, opus Redemptionis ita in Missa renovari ut, si Christus nondum in cruce mortuus fuisset, quælibet Missa afferret mundo eadem illa bona, quæ ei per mortem Redemptoris allata sunt. *Tantum quippe valet celebratio Missæ,* inquit Discipulus,[2]) *quantum mors Christi in cruce,* ita ut per Altaris sacrificium omnia Dominicæ Passionis merita, hominibus, et

[1]) Sess. 22. c. 2. — [2]) De Sanct. s. 48.

maxime sacerdotibus, qui illud offerunt, applicentur.

Atque hinc fuit quare S. Franciscus Assisiensis (qui nunquam sacerdotali charactere insigniri voluit, quia sacerdotio se indignum reputaret) adhortaretur sacerdotes, ut mentem ab omni in res creatas amore avellerent omnibusque viribus Deum, qui ipsos tanto amore atque honore esset prosequutus, amare et honorare conarentur, subjungens nimis infortunatos esse, qui, dum Jesu in Altari tam prope adstent, alicujus rei terrestris amore teneantur. *Videte* (hæc sunt ejus verba),[1] *dignitatem vestram, sacerdotes; et sicut super omnes, propter hoc mysterium, honoravit vos Dominus, ita et vos diligite eum et honorate. Magna infirmitas, quando Jesum sic præsentem habetis et aliud in toto mundo curatis.*

### Pii affectus.

Domine, non sum dignus, qui in tui conspectum veniam; sed tua excitatus bonitate, quæ me, licet indignissimum, ad sacerdotalem dignitatem evexit, accedo ad

[1]) Op. p. I. ep. 12.

Digitized by Google

Altare, ut Filium tuum in sacrificium tibi offeram. Offero igitur tibi, mi Deus, Immaculatum Agnum, ut pro meis et pro omnium hominum peccatis tibi satisfaciam. *Ecce Agnus Dei!* Ecce Agnus, quem tu olim in ara Crucis, ad tuam gloriam et pro nostra salute, mactatum conspexisti. Per amorem hujus tibi tam caræ Victimæ, applica animæ meæ ejus merita, et condona mihi omnes, tum graves, tum leves, offensas, quibus tibi displicui. Earum enim me ex toto corde pœnitet, quia, peccando, injuriam tibi, Bonitas infinita, feci.

Tu vero, veni, o Jesu, et lava in tuo sanguine, antequam te recipiam, animam meam ab omnibus, quæ eam coinquinant, immunditiis. *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea.* Dixi jam et iterum dico: non sum dignus, qui te recipiam; sed tu, cœlestis medice, potes ad unam tuam vocem omnes meas sanare plagas. Veni igitur et sana me.

*Erravi sicut ovis quæ periit.* Errabunda illa ego sum ovis, quæ a te, mi Redemptor, digressa, ultro suæ perditioni annuit; tu vero es bonus ille pastor, qui tuam vitam,

Digitized by Google

ad salvandum me, dedisti. *Quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Ita, o Jesu, quære me, et noli amplius me deserere. Quære me, tuisque me adstringe humeris; stat enim mihi famulari tibi, teque semper, quantum potero, diligere.

Tu dixisti: *Oves meæ vocem meam audiunt . . . et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ad tuum tu me vocas amorem. Ecce, venio! relinquo omnia et accedo ad te, o mea vita. Volo in omni re morem tibi gerere. Renuntio universis sæculi oblectamentis, ut totum me dicem tibi, qui pro tua benignitate sacrosanctam tuam carnem mihi in cibum porrigere dignaris.

Amo te, bone Jesu, amo te super omnia, et cupio te recipere, ut ardentiori in te amore succendar. Tu donas te totum mihi: ego vicissim totum me tibi dono. Ex hinc tu eris in perpetuum unicum meum bonum, amor meus unicus, mea omnia.

O Maria, mater mea, impetra mihi partem illius humilitatis et caritatis, quarum tota plena Jesum in sanctis tuis communionibus recepisti.

Digitized by Google

**Gratiarum actio.**

O bonitas infinita! O infinita caritas! Deus totum se mihi dedit; factus est totus meus! Collige, anima mea, omnes tuos intra te affectus, et arctissime cum Domino tuo te conjunge; ipse enim ideo ad te venit, ut se tibi admiscens a te redamaretur.

Te, mi Jesu, amplector; te, mi amor, te, vita mea, ad meum pectus stringo. Noli me repellere. O me infelicem! expuli te olim ex anima mea, et a te me sejunxi. At in præsentiarum firmum est mihi mortem potius millies obire, quam tui, o summum meum Bonum, facere jacturam. Obliviscere, Domine, universas, quas tibi intuli injurias, easque mihi clementer condona; ex toto enim corde earum me pœnitet, de eisque tantopere doleo, ut præ dolore mori cupiam. Quamvis autem in te sæpe peccaverim, audio tamen te mihi præcipientem, ut diligam te! *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* At quis sum ego, Domine, ut meum tibi amorem exposcas? Quoniam vero a me amari desideras, volo tuum explere desiderium. Tu pro me mortuus es, et carnem tuam in cibum mihi

Digitized by Google

dedisti; et ego, ut gratum me tibi præbeam, dimitto omnia, renuntio omnibus, et te solum, amantissime Salvator, amplector.

*Quis me separabit a caritate Christi?* Ecquid aliud amabo præter te, mi Jesu, qui es infinita bonitas, ideoque infinito amore dignus? *Quid mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in æternum.* Et sane, ubinam, sive in cœlis, sive in terra, aliquid te melius invenire potero, aut aliquem qui me majori dilexerit amore? *Adveniat regnum tuum!* Sume tibi nunc, o bone Jesu, totius cordis mei dominium. Illud tibi totum trado. Tu solus illud in perpetuum posside, et omnem alium amorem, qui ad te non collineat, ex eo depelle. Te enim solum in meam mihi portionem in measque divitias eligo. *Tu solus es Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum.* Sine me his S. Ignatii ad te uti verbis: *Amorem tui solum cum gratia mihi dones, et dives sum satis.* Da ut amem te et a te amer, et tantis jam affluo divitiis, ut nihil ultra appetam. Verumtamen, cum te non lateant nec præsens mea infirmitas nec præterita mea infidelitas, conforta me, precor, auxilio gratiæ

Digitized by Google

tuæ, ita ut non amplius jacturam tui faciam. *Ne permittas me separari a te.* Hoc nunc tibi dico, hoc semper tibi dicere volo, et precor te, ut idipsum mihi jugiter iterare facias: *Ne permittas, ne permittas, me separari a te.*

O spes mea, Maria Sanctissima, impetra mihi geminam hanc gratiam, perseverantiam nimirum in bono usque ad finem, et sanctum Dei amorem; nec quidquam aliud ultra posco.

## Feria III.

### Præparatio ad Missam.

*Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[1])

Erant sub priori Testamento multa, quibus Deus colebatur, sacrificia; sub nova autem lege ipse plus honoris ex una sola Missa percipit quam ex omnibus priscis illis sacrificiis, quæ incruenti nostri sacrificii non nisi figuræ erant et umbræ. Quantum divina majestas honoranda est, tantum ipsa per Missam honoratur; quandoquidem Missa infinitum illum honorem reno-

---

[1]) Matth. 17. 5.

Digitized by Google

vat, quem Christus Dominus olim, per suam in cruce oblationem, æterno Patri exhibuit. Proinde major Deo gloria, vel ex unius Missæ celebratione, obvenit quam ex omnibus omnium Sanctorum orationibus et pœnitentiis, ex universis laboribus Apostolorum, et ex cunctis Seraphicorum spirituum ipsiusque Virginis Deiparæ ardoribus. Jam vero tu es, o sacerdos, ille vir, per quem Deus tantum sibi honorem hoc mane deferri desiderat.

Æquum est etiam ut congruæ rependantur gratiæ pro immensis illis, quibus divina Bonitas nos cumulare dignatur, beneficiis. At, quasnam possumus, nos miserabiles, rependere gratias? Si Deus nobis vel semel aliquod leve amoris pignus dedisset, sola hæc benevolentiæ testificatio infinitas sibi gratiarum actiones promereretur, eo quod foret ipsius Dei, qui est Majestas infinita, amans gratificatio. At vero, non est cur pudore afficiamur, quasi nullus nobis esset gratias agendi modus. Habemus enim, et quidem abunde, unde divinæ Beneficentiæ condignas gratias rependamus; habemus scilicet Jesum, quem æterno Patri in sacrificium offerimus, et

Digitized by Google

per hanc oblationem rependimus ei quantum debemus; et sic fit completa atque adeo condigna nostra gratiarum actio.

Et re quídem vera, quæ mactatur victima, est ipse Unigenitus Dei, in quo æternus Pater sibi bene complacet. Sacrificium, quod offertur, est sacrificium vitæ Dei, qui per consecrationem et sumptionem mystice immolatur. Hic fuit modus quo David rex gratias Deo pro sibi concessis donis agere solebat, dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.*[1]) Et hoc pariter modo Christus Dominus gratias egit Patri pro universis humano generi tributis beneficiis: *Et accepto calice,* inquit Scriptura, *gratias egit et dixit: accipite et dividite inter vos.*[2])

**Pii affectus.**

Quî fieri potuit, Deus et Creator meus, ut altissimum, per Unigeniti tui sacrificationem, te honorandi munus mihi assignares, mihi, inquam, qui te toties inhonoravi, et tam multis affeci injuriis? Dignus

---

[1]) Ps. 115. 12. — [2]) Luc. 22. 17.

Digitized by Google

eram qui in infernum detruderer; tu vero ad sacerdotalem dignitatem me evexisti, et fecisti me tuæ gloriæ ministrum.

Quoniam igitur grande hoc sacrificium de manu mea suscipere dignaris, accedo ad Altare, ut in nomine Jesu, cum cujus corde cor meum pauperrimum conjungo, illud tibi in altissimi tui dominii recognitionem offeram. Vellem supremam tuam Majestatem ab omnibus adoratam videre et amatam ab omnibus. Valeat igitur honor, quem hodie per Filii tui sacrificium tibi exhibeo, ad resarciendas omnes contumelias, quibus mortales te unquam inhonorarunt, et etiamnum inhonorant.

Per hoc pariter sacrificium animo intendo agere tibi gratias pro universis, quæ hominibus unquam tribuisti, beneficiis, et præsertim pro illis, quæ contulisti in me miserabilem, qui, ob ingrati animi vitium, dignum me reddidi, quem tu desereres. Sed quo magis mea in te increverunt peccata, eo magis tua in me increverunt beneficia. O infinita Bonitas, pro tanta misericordia grates tibi persolvo; vel potius eas pro me persolvat Christus Dominus, quem mox in sacrificium tibi offeram.

Digitized by Google

Per merita Jesu Christi collustra, Domine, mentem meam tuo lumine, inflamma cor meum tui amoris igne, et abstrahe animum meum ab omnibus terrenis affectibus; nec permitte diutius me tot blandi tui amoris invitamentis refragari. Amo te, o summum Bonum, ex toto corde meo, et renuntio omnibus, ut tibi, o Deus infinite amabilis, gratus exsistam. Fac melius semper inspiciam, quanta sit tua bonitas, ut ita fiam tui semper amantior et semper alacrior in perficiendis omnibus, quæ tibi placitura esse cognovero.

Tu exhibuisti te animæ meæ amantissimum. Quid igitur amarem præter te? O amor animæ meæ, exhinc volo tibi soli vivere; volo te solum amare, te, inquam, qui solus dignus es, in quem omnem meum amorem convertam. Illud, Pater æterne, per sanguinem Jesu Christi futurum esse spero, ut cum auxilio gratiæ tuæ, felici effectu hoc meum consilium compleam. Fugientem me a te, tam multis favoribus cumulasti; quanto plures ac majores nunc mihi sperandi sunt, cum te quæro, neque aliud quam sanctum amorem tuum efflagito.

Digitized by Google

O Maria, o mater mea, tu quæ in tuo utero illum Deum portasti, quem ego mox recepturus sum, adjuva me, ut eum humiliter atque amanter recipiam.

**Gratiarum actio.**

Quî factum est, Domine Jesu, ut ego toties in te peccarem, sciens peccatum tibi summopere displicere! Ignosce mihi, precor, per tuæ Passionis merita, et amoris tui nexu me tibi conjunge. Non te removeat a me fœtor culparum mearum. Fac ut in dies magis magisque cognoscam, quanta tua sit bonitas, quantus tibi debeatur amor, et quanta sit illa, qua me dilexisti, caritas.

Opto me totum in sacrificium tibi offerre, o bone Jesu, qui te totum pro me in sacrificium obtulisti. Innumeris caritatis argumentis tu me tibi devinxisti; noli igitur permittere me unquam a te disjungi. Amo te, mi Deus, et volo te amare semper. Etenim, postquam tuum in me amorem cognovi, quonam jam pacto fieri poterit ut a te disjunctus et gratiæ tuæ iterum expers vivam? Ago tibi gratias quod me, cum gratia tua excidissem, pa-

Digitized by Google

tienter exspectasti, et quod mihi adhuc tempus te amandi elargiris. Si tunc mortuus fuissem, nulla amplius mihi foret te amandi potestas. Quoniam vero te adhuc amare possum, volo te, o bone Jesu, totis viribus amare, et in eam semper incumbere curam, ut in omni re tibi placeam. Amo te, o infinita bonitas; amo te plus quam me ipsum; et quia corde et animo te amo, dono tibi corpus meum, animam meam, totam voluntatem meam. Fac et dispone de me, sicut tibi placuerit. In omnibus mihi occursuris rebus amanter me tibi subjicio. Da mihi perpetuum amorem tui: hoc enim mihi satis est, nec quidpiam aliud desidero. Bona terrena dilargire illis, qui ea appetunt; ego nihil volo, nihil efflagito, nisi perseverantiam in tua gratia et sanctum amorem tui.

His, æterne Pater, Filii tui promissis innixus: *Amen, amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*[1]), peto a te, in nomine ejusdem Filii tui, sanctam perseverantiam, pretiosissimam te ex toto

[1]) Jo. 16. 23.



Digitized by Google

corde amandi gratiam, et voluntatis tuæ executionem perfectam ac perpetuam. Ideo tu, o bone Jesu, victima pro me factus es, et totum te mihi donasti, ut ego quoque totum me tibi donarem, meamque tibi voluntatem sacrificarem; quod his mihi significas verbis: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.*[1]) En igitur, Domine, en cor meum et animam meam: hanc tibi trado totamque eam tibi sacrifico. Quoniam vero mea tibi nota est infirmitas, veni, mi adjutor, nec unquam permitte, me hanc meam voluntatem a te retrahere, ut iterum peccem in te. Noli, quæso, hoc permittere; sed fac, ut te semper amem, eo nimirum amore, qui sacerdotem addeceat. Da ut, sicut Filius tuus moriens dicere potuit: *Consummatum est,* ita et ego in puncto mortis meæ vere dicere possim, me ab hodierno die sanctissimam voluntatem tuam in omni re perfecte adimplevisse. Concede, ut in omnibus tentationibus et peccandi periculis, ad te semper confugiam: tuumque auxilium mihi, per Jesu Christi merita, implorem. Sed et tu, Maria San-

[1]) Prov. 23. 26.

Digitized by Google

ctissima, illud mihi impetra ut, irruentibus in me tentationibus, ad Deum et ad te, quæ omnia apud Deum potes, semper confugiam.

## Feria IV.

### Præparatio ad Missam.

*Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*[1])

Perpende pia mente tecum, sacerdos, pœnas, quæ peccatis nostris debentur, per altaris sacrificium clementer remitti, et divinas miserationes super illos largiter effundi, quos culparum reatus constringit. O nos infortunatos, si non haberemus grande hoc sacrificium, quo divina justitia inhibetur, quominus pœnas, quas pro nostris peccatis meremur, nobis injungat. Certum est, non potuisse Dei contra peccatores indignationem ullis, quæ sub antiqua Lege offerebantur, victimis leniri, dicente Propheta: *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum*[2])? Etiamsi omnes homines simul et Angeli vitam suam in sacrificium Deo obtulissent, non potuissent

[1]) I: Jo. 2. 2. — [2]) Mich. 6. 7.



Digitized by Google

ne pro una quidem contra eum commissa culpa congruo modo satisfacere. Christus Dominus solus potuit condignam pro nostris peccatis præbere satisfactionem: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et ideo missus est in terram, ut mortali nostra indutus natura, æternum Patrem, propriæ vitæ suæ sacrificio, redderet peccatoribus placabilem. Jam vero hoc idem sacrificium toties renovatur, quoties celebratur missa.

Tu igitur, reputa pie tecum, quanta sit tui officii dignitas. Geris personam mediatoris Deum inter et peccatores, offerendo Deo in sacrificium vitam et merita Christi, et placando eum per hoc sacrificium, ut peccatoribus gratiam illustrationis et pœnitentiæ, ac dein ipsam delictorum veniam elargiatur, sicut docet Tridentinum Concilium, dicens:[1]) *Hujus oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit.* O quanto valentior est vox innocentissimi nostri Redemptoris ad conciliandum nobis divinas miserationes, quam vox sanguinis Abelis ad concitandam vin-

[1]) Sess. 20. c. 2.

Digitized by Google

dictam in Cainum! *Accessistis,* inquit Apostolus, *ad .... mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.*[1])

**Pii affectus.**

O Deus, o altissima Majestas, tu succenses peccatoribus, et eheu! nimiæ sunt causæ, quare tu eis succenseas, eo quod magno illi, quo tu eos prosequeris, amori nonnisi facinora ingrati animi rependunt. At, si magna sunt mortalium peccata, major est oblatio et majus donum, quod tibi hodie in satisfactionem exhibebo; *Non sicut delictum ita et donum.*[2]) Accedo enim ad altare, ut ipsum Filium tuum in sacrificium tibi offeram. Leniat, oro, hæc tibi tam grata Victima iram tuam, et moveat te ad misericordiam erga peccatores, tum erga eos qui te non cognoscunt, tum erga illos alios, qui licet te cognoscant, nolunt tamen te amare, et vivunt idcirco gratiæ tuæ exsortes. Da eis, Domine, lumen et robur, ut a miserabili, in quo versantur, statu eripiantur, et tecum in gratiam redire festinent.

---

[1]) Hebr. 12. 24. — [2]) Rom. 5. 15.

Digitized by Google

Preces quidem pro omnibus ad te Domine effundo, sed maxime pro me, qui cum majoribus a te quam cæteri, cumulatus sim beneficiis, majorem etiam præ cæteris, ob commissa peccata, ingrati animi reatum contraxi, et majoribus te offensis atque injuriis affeci. Te igitur per amorem Jesu Christi oro atque obtestor, ut mihi omnia tum lethalia tum venialia peccata condones, omnes scilicet, quos non refrænavi impatientiæ motus, omnia mendacia, omnes actus intemperantiæ, omnem inter sacras meditationes ac divini officii recitationem indiligentiam mentisque evagationem. Exoro mihi universalem condonationem; pœnitet enim me omnium, quæ commisi, peccatorum, de iisque omnibus doleo, quia peccando tibi displicui, o infinita Bonitas, quæ infinite digna es, quæ ab omnibus et maxime a me sacerdote, adameris.

Amo te, Bonitas infinita; amo te super omnia, et promitto me potius moriturum quam aliquid scienter facturum, quod tibi vel minime displiciturum esse cognovero. O mi Jesu, in morte tua et in tuo sanguine sunt omnes spes meæ. Rogo et spero illam a te gratiam, qua adjutus tibi semper fi-

Digitized by Google

delis remaneam, et in tantum tui amorem exardescam, ut nihil amplius me, extra te, oblectet. O Maria sanctissima, veni mecum ad Altare, atque ita inter sacrificationem mihi assiste, ut sacrosanctum sacrificium digne ac sancte offerre valeam.

### Gratiarum actio.

Video, Domine Jesu, quanta operatus et passus sis, ut me, quasi per vim, ad amandum te compelleres; ego vero ingratum hucusque me tibi exhibui. Quam frequenter eo deveni, ut gratiam tuam, o Deus animæ meæ, pro vili aliquo oblectamento commutarem, et ex mera animi levitate jacturam tui facerem. Fui equidem sat gratus in creaturas; tibi soli me præbui ingratum. Ignosce mihi, Deus meus; pœnitet enim me pessimæ vitæ meæ. De ea ex toto corde doleo, et a te, qui bonitas es infinita, veniam mihi spero. Nisi bonitas tu esses infinita, desperarem de æterna mea salute, nec misericordiam tuam amplius implorare auderem.

Ago tibi gratias, Amor meus, quod me in infernum, quem promerui, non detrusisti, et quod tam diutina in me usus es pa-

Digitized by Google

tientia. Deberet utique sola hæc tua patientia me totum tuo amore accendere. Quis unquam tamdiu me exspectasset, nisi tu, Deus, cujus infinita est misericordia? A tam longo jam tempore video te meis instantem vestigiis, ut ad amorem tuum me allectes. Nolo amplius tibi resistere. Ecce me: totum me tibi trado. Satis jam est, toties me tibi displicuisse. Exhinc amare te volo. Amo te, o Summum Bonum; amo te, o infinita Bonitas; amo te, o Deus, qui infinito amore dignus es, voloque tum in hac tum in altera vita, hæc semper iterare verba: amo te, amo te.

At vero, quam multos amisi annos, quos in amando te, dulcissime Jesu, et in progrediendo in tuo amore transigere potuissem, quos autem in eo insumpsi, ut mea in te peccata multiplicarem. Sed in sanguine tuo sunt spes meæ. Spero fore, ut nunquam amplius ab amando te desistam. Latet me residuæ vitæ meæ spatium; sed illud integrum, sive breve futurum est sive longum, tibi dedico. Ideo enim me usque in præsentem diem exspectasti, ut tibi soli viverem. Volo hoc tuum, amabilissime Jesu, explere desiderium; volo amare te,

Digitized by Google

et amare te solum. Quid mihi cum divitiis? Quid cum oblectamentis, quid cum honoribus? Tu solus, mi Deus, tu solus es erisque in perpetuum amor meus, mea beatitudo, mea omnia. At, nisi me tua adjuvet gratia, nihil possum. Transfige, precor, cor meum amoris tui vulnere; succende illud flammis tuæ caritatis, et tam arcte illud tecum conjunge ac copula, ut non amplius a te disjungi possit. Spopondisti omnes, qui te amaverint, a te amatum iri: *ego diligentes me diligo.*[1]) In præsentiarum ego amo te; tu ergo (da veniam verbis) me redama; nec permittas aliquid a me patrari, quod tuum in me amorem exstingueret. *Qui non diligit manet in morte.*[2]) Libera me ab hac morte, quæ me facultate amandi te privaret. Fac, ut te semper amem, tuque amantem redama, ut ita mutuus noster amor sit æternus atque indissolubilis. Concede mihi, Pater æterne, hanc gratiam, Jesu Christi causa; sed et tu ipse, Domine Jesu, eamdem mihi gratiam concede ob tua merita, quæ in spem me erigunt fore ut te semper amem, et

[1]) Prov. 8. 17. — [2]) I. Jo. 3. 14.

Digitized by Google

semper a te amer. — O Maria, Mater Dei et mater mea, tu quoque precare pro me.

## Feria V.

### Præparatio ad Missam.

*In omnibus divites facti estis in illo.*[1])

Considera pia mente tecum, sacerdos, Deum, tempore Missæ magis quam quovis alio tempore esse sacerdotum precibus exorabilem. Ipse suas utique gratias, quotiescumque per merita Christi petuntur, clementer dispensat; sed inter Sacrum, sicut Chrysostomus attestatur, eas copiosius sacerdotibus elargitur, quia sacerdotum precationes specialem tunc valorem sortiuntur ab ipsis, quæ eis admiscentur, precibus Christi, qui tanquam principalis sacerdos eo fine se Deo offert, ut cœlestia nobis dona exoret.

Docet Tridentinum Concilium[2]), tempus Missæ esse tempus, quo Dominus insideat gratiarum suarum throno, ad quem ut fiducialiter accedamus, sic nos adhortatur Apostolus: *adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam conse-*

[1]) I. Cor. 1. 5. — [2]) Sess. 22. c. 2.

Digitized by Google

*quamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*[1]) Dicit Chrysostomus[2]), ipsos Angelos, ad efficacius pro nobis intercedendum, horam sacrificationis exspectare et illud, quod intra sacrum non fuerit impetratum, haud facile posse alio tempore impetrari.

O quantam gratiarum copiam tum sibi tum aliis consequitur sacerdos qui, dum sacra ad altare operatur, Deum fidenter precatur! Quando sacrifico, inquiebat V. Antonius Colellis, meumque Jesum in meis manibus teneo, omnes illico quas desidero, gratias ab eo consequor. Et sane, cum Pater æternus nobis omnia spiritualia bona, omnia charismata elargiatur, dummodo ea per merita Jesu Christi efflagitemus, dicente Paulo Apostolo: *in omnibus divites facti estis in illo . . . . . ita ut nihil vobis desit in ulla gratia;* quanto largius cœlestia dona effundere putandus est super sacerdotem, qui eum ad aram colit, eumque acceptissima sui Filii immolatione, ad munificentiam allectat!

---

[1]) Hebr. 4. 16. — [2]) De incomp. Dei natura. hom. 3.

Digitized by Google

Adde, quod idem æterno Patri immolatus Filius nobis inter Missam in cibum datur. Qui ergo fieri possit, ut Pater, post proprii Filii donum, aliquam nobis gratiam deneget? *Quomodo*, subdit idem Apostolus, *non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[1])

### Pii affectus.

O me infelicem! quot et quantas hucusque gratias ob incuriam meam amisi, quia inter sacrum eas efflagitare prætermisi. Sed quoniam nunc mihi, Domine, lumen affundere dignaris, nolo amplius in pristinam relabi incuriam. Conjungo, æterne Pater, preces meas cum precibus Jesu Christi, et per amorem hujus Filii tui, quem tibi immolaturus sum, ante omnia te adprecor, ut mihi omnium meorum delictorum veniam concedas, quandoquidem nunc de iis omnibus ex intimo corde doleo. Deinde adprecor te, ut meam mentem tua luce collustres, ad cognoscendum quam dignus sis, qui a me ameris, et quantopere te amare debeam, tum ob infinitam illam, quæ tibi inest bonitatem, tum ob amorem

[1]) Rom. 8. 32.

quo me prosequi dignatus es. Da mihi robur, ut ab omni in res terrenas amore me avellam, et omnes cordis mei affectus ad te solum convertam, qui es Summum Bonum et amator meus præcipuus. Insuper precor te, ut quotquot te non cognoscunt tuæque amicitiæ exsortes sunt, benigne illuminare digneris. Da omnibus tuæ gratiæ donum; da omnibus donum amoris tui. O infinite Dei mei amor! fac cognoscaris, fac ut ameris.

Tu vero, o mihi care Salvator, redde me, antequam moriar, totum tuum, nec permittas me unquam separari a te. Eheu! quamdiu vivam, in hoc semper periculo versabor. Nolo amplius a te, o mi Jesu, disjungi. Precare tu Patrem tuum, ut me potius mori faciat quam ut sinat me adhuc resilire a te. Precare eum, ut me amoris vinculo arctius in dies tecum constringat, tecum, inquam, qui tam magna patrasti, ut a me amareris. O mi Jesu, tu es amor meus, tu mea spes unica. Fac ut quoties in altari te videro, toties ex intimo corde eadem illa verba proferam, in quæ prorupit S. Philippus Nerius, videns te in

Digitized by Google

Sanctissimo Sacramento: *Ecce amor meus! ecce amor meus! ecce amor meus totus!* Sed et tu precare pro me, o Maria Sanctissima. Sacerdos sum: pro me ergo intercede, ut qualis esse debeat sacerdos, talis ego fiam, id est totus Jesu Christi. Amen.

### Gratiarum actio.

En ad pedes tuos, Deus infinitæ majestatis, proditorem, qui tam graviter in te deliquit. Sæpenumero tu mihi veniam tribuisti; ego vero, tuæ licet gratiæ lumine illustratus, meas in te offensas renovavi. Cæteri peccaverunt in tenebris, ego vero in luce. At audi vocem Filii tui, quem in sacrificium tibi obtuli, et quem nunc in pectore meo inclusum teneo. Ipse misericordiam et veniam a te mihi implorat. Ejus intuitu, ignosce mihi, qui ex intimo corde doleo quod in te, Bonitatem infinitam, deliqui.

Scio te libenter, Jesu Christi amore, dare peccatoribus veniam: *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum.*[1]) Ejus ergo

---

[1]) Col. 1. 20.

Digitized by Google

causa, præbe te mihi placabilem. *Ne projicias me a facie tua.* Noli, sicuti mereor, a te me repellere; parce mihi, et muta cor meum. *Cor mundum crea in me, Deus.* Fac hanc in corde meo mutationem, ob gloriam nominis tui, quandoquidem in sacerdotem me tibi elegisti, et in ministrum, qui ipsum filium tuum tibi in sacrificium offerret. Fac me vivere sicut sacerdotem addecet; inflamma cor meum illo amore, quo ardere debet sacerdos, absumendo in me omnes terrenos affectus, et tui amoris igne eos exstinguendo. Concede mihi, ut hinc in posterum gratum me tibi præbeam pro tot, quibus me cumulasti, beneficiis, et pro tanto, quo me prosecutus es, amore. Quod si amicitiam tuam olim contempsi, in præsentiarum pluris eam facio, quam omnia regna mundi; et quæ tibi sunt placita, potiora mihi sunt quam omnes, quæ et in cœlis et in terra haberi possunt, divitiæ ac jucunditates. Avelle me, Pater mi, ab omni in res creatas amore. Tu vis sacerdotes tuos a cunctis, quæ in mundo sunt, rebus ita segregatos, ut tibi soli ac promovendæ gloriæ tuæ vivant. *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod*

Digitized by Google

*assumpsi eos.*[1]) Novi te idipsum a me requirere; nec ego volo tuæ obsistere voluntati. Tu vero adjuva me auxilio gratiæ tuæ; trahe me totum ad te. Da mihi illam in laboribus rebusque adversis patientiam, quæ me faciat in tua amanter acquiescere voluntate. Infunde mihi spiritum mortificationis, ita ut, tui causa, aspere mecum agam. Largire mihi spiritum humilitatis, quo ductus eo usque progrediar, ut vilis ac mendosus haberi appetam. *Doce me facere voluntatem tuam.* Ita Domine, hoc me edoce, et dic quid velis a me fieri; sum enim ad omne tuum exsequendum jussum paratus. Suscipe ad amandum te peccatorem, qui præterito quidem tempore crebro in te deliquit, qui vero in præsenti amare te, et totus tuus esse exoptat. Illud fore spero ut te, æterne Deus, in æternum amem; et ideo volo in hac vita multum te amare, ut et in altera, per totam æternitatem, multum te amare valeam. Et quoniam te amo, ab omnibus te cognosci atque amari desidero. Tu igitur, Domine, qui in sacerdotem me tibi elegisti, concede

[1]) Act. 13. 2.

Digitized by Google

mihi ut pro te laborem, uberemque tibi animarum messem faciam. Omnia spero per tua, mi Jesu, merita, et per tuam intercessionem, o mater mea, Maria.

## Feria VI.

### Præparatio ad Missam.

*Accipite et comedite: hoc est corpus meum.*[1])

Considera tecum et perpende, devotam sacrificationem peculiaria secum afferre sanctificationis subsidia, tum quia sacerdos, qui sacrificat ad divinæ Majestatis audientiam admittitur, tum quia, inter sacrum familiarius agit cum Incarnato Verbo, quod manibus attrectat et quocum, ut amicus cum amico, fidenter colloquitur.

Illud præterea sacerdoti conceditur ut, propriis manibus, sacrosanctam Jesu Christi carnem in cibum, ejusque sanguinem in potum sibi sumat; sacerdotes enim proprie allocutus est Dominus, cum sic affatus est Apostolos: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum.* Præbetur utique et sæcularibus sancta Communio; sed ipsis non licet Sanctissimum Sacramentum propriis

---

[1]) Matth. 26. 26.



Digitized by Google

manibus attingere, nec cœlestem, cum libuerit, capere cibum. Debent Eucharistiam e manu sacerdotum recipere, et eo quidem tempore, quo his placuerit. Sacerdos vero potest Jesum Christum, ad suum arbitrium, sibi sumere et sacrosanctam ejus manducare carnem.

Jubet Dominus, loquens de Sacramentis et signanter de Sacramento Eucharistiæ, ne sacerdotes eam sumendam porrigant peccatoribus: *Nolite,* inquit, *dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*[1]) Margaritæ intelliguntur particulæ consecratæ; sed nota tibi hanc vocem: *vestras.* Ipsa significat, sacramentum Altaris esse rem sacerdotum propriam, eo quod illud, cum voluerint, e tabernaculo extrahant, illud, quo voluerint, deferant, illo, quando voluerint, vescantur, ac quibus voluerint, sumendam porrigant; et ut breviter omnia dicantur, hæc vox *vestras* significat, sacerdotem esse clavigerum omnium cœlestium thesaurorum, ita quidem ut de iis ad suum propemodum arbitrium statuere valeat. In Eucharistia

[1]) Matth. 7. 6.

enim sunt omnes divinæ Bonitatis divitiæ, sicut attestatur Chrysostomus,[1]) inquiens: *Dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio.* Et propterea talem, inter sacrificationem, sacerdos se exhibet, ut ipsius Christi in sacramento latitantis divitiarum dominus esse videatur. *De toto Deo dives est.* Jesus igitur totus sacerdotum est. At ubinam sunt sacerdotes, qui sint toti Jesu? Ubi est amor, quo plerique hunc suum salvatorem prosequuntur? Bone Deus! quot sunt ruricolæ, quot puellæ pastoriciæ, quæ Jesu Christi amantiores sunt quam multi sacerdotes! Quantis autem suppliciis apud inferos afficietur ingratus ille sacerdos qui, posteaquam divinum Salvatorem hac in terra sibi adeo vicinum habuerit, in æternum dein ab eo, qui erat totus suus, exsulabit, omni spe ejus perfruendi aspectu exclusus.

**Pii affectus.**

Tu, o Jesu, fecisti te victimam in cruce, ut in altari fieres hostia, quam ego in sacrificium offerrem, et cujus cruore ine-

[1]) In I. Cor. hom. 24.

briarer. Tu, eligendo me tibi in sacerdotem, factus es totus meus, teque totum ita mihi donasti, ut possim, quotiescunque mihi placuerit, manibus meis te attrectare, teque mihi in cibum sumere.

Adauge, bone Jesu, o amor animæ meæ, adauge mihi fidem. Fac cognoscam te, et cum te sacramentum factum manibus attrecto, et cum tibi adsto in altari vicinus, et cum sacrosanctum tuum corpus meo ori admoveo, et cum labris attingo tui sanguinis calicem. Eheu! quî fit ut non totus tuo amore ardeam, cogitando de te, o mi Deus, qui eo usque te demittis, ut mecum tam familiariter agas, quin etiam ut te ipsum mihi in cibum ac potum donare digneris.

Non satis tibi fuit, tuum in crucis arbore sanguinem ac vitam pro me profudisse; vis insuper hunc tuum sanguinem mihi dari in potum, ut ita totus tibi admiscear efficiarque una res tecum, sicut loquitur Chrysostomus,[1]) dicens: *ipsa re nos suum efficit corpus.*

---

[1]) *Ad pop. Antioch.* hom. 60.

Digitized by Google

O mi Deus, illumina et adjuva me, ne diutius tanto tuo amori ingratus vivam. Avelle me a rerum terrenarum amore, et fac ut exhinc non amplius inhibeam illas gratiarum aquas, quæ copiosissime in eos diffunduntur, qui amore ducti ad sacram tuam mensam accedunt. Amo te, o mi Jesu, qui mortem pro me obiisti, meusque factus es cibus. Tu vero, Pater æterne, concede mihi, per merita Jesu Christi, quem in sacrificium tibi oblaturus sum, omnes illas gratias, quibus mihi opus est, ut totus tuus efficiar. Et tu quoque, Maria sanctissima, respice in me, et ora Jesum pro me.

### Gratiarum actio.

Quomodo potuisti me, Domine Jesu, ex millibus in sacerdotem tibi eligere, me, inquam, qui toties tergum tibi verti, tuamque gratiam pro nihilo duxi. At, ex tota anima nunc de peccatis meis doleo. Dic mihi, Domine, an veniam mihi concesseris. Spero, te eam mihi jam concessisse, et propterea, non semel tantum, sed quoties mihi ignovisti, factus es mihi Redemptor. O utinam tibi nunquam displicuissem! Fac me, precor, audire illa, quibus ad Mariam

Digitized by Google

Magdalenam usus es, verba: *Remittuntur tibi peccata tua.* Da mihi magnum de peccatis meis dolorem, et sic fac intelligam amissam me recuperasse gratiam tuam. — *In manus tuas commendo spiritum meum.* Tu, divine Pastor, de cœlis olim in terram descendisti ut me, perditam ovem tuam quæreres, et descendis quotidie in aram, ut mihi benefacias; profudisti vitam tuam, ut mihi salutem afferres; noli igitur me derelinquere. In manus tuas commendo animam meam; Tu eam clementer suscipe, nec sinas me separari a te. Fudisti omnem tuum sanguinem pro me: *Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Nunc advocatus meus es, non autem judex. Quamobrem impetra mihi a Patre tuo omnium delictorum meorum veniam et lumen ac vires, quæ me totum in tuum amorem inducant. Concede mihi residuam vitam meam ita transigere, ut, quum te judicem videro, conspiciam te mihi prorsus placatum.

Sit cor meum sub tui amoris imperio; tu eo ita potire, ut sim totus tuus; et ideo fac, amabilissime Jesu, ut perpetuo in animo meo fixa sit memoria tum illius qua

Digitized by Google

me dilexisti caritatis, tum eorum omnium, quæ pro me operatus ac passus es, ut a pœnis inferni me eriperes meumque tibi amorem conquireres. Ad hoc tu me sacerdotem fecisti, ut de nulla re nisi de tuo amore cogitarem. Volo igitur explere desiderium tuum. Amo te, nec aliud quidpiam extra te amare volo. Da mihi in præsentis vitæ laboribus humilitatem ac patientiam; da mihi in contemptibus mansuetudinem, mortificationem in repudiandis terrenis oblectamentis, et fac animum meum omni in res creatas amore ita vacuum, ut cuncti affectus, qui ad te non collineant, penitus inde excludantur. Hæc omnia a te mihi exoro per tuæque Passionis merita spero. O mi Jesu, o bone Jesu, exaudi me. Sed et tu, o Maria, mater et spes mea, exaudi me et precare Jesum pro me.

## Sabbato.

### Præparatio ad Missam.

*Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.*[1])

---

[1]) Luc. 19. 5.

Digitized by Google

Finge tibi animo, sacerdos, Christum Jesum, in præsentiarum, iisdem te alloqui verbis, quibus olim Zachæum allocutus est, teque hunc in modum affari: festinans accede ad Altare, quia volo hodie in anima tua hospitari, ut vitam ei conservem, ut sanem ejus vulnera et denique ut eam igne mei amoris inflammem. Et sane, divinum Sacramentum operatur trinum hunc effectum. Est panis præstans vitam animæ: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*[1]) Est medicina liberans et præservans a peccatis: *Antidotum*, ait Tridentina Synodus,[2]) *quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur.* Est ignis, tantum excitans amoris flammam, ut nisi nos ipsi impedimento essemus, regrederemur ab Altari, inquit Chrysostomus,[3]) *flammam spirantes, terribiles effecti diabolo.*

Sed quid est in causa, o Deus, cur tam multi sacerdotes, cœlesti hoc pane quotidie refecti, conspiciantur rerum terrestrium in dies amantiores, nedum tui amoris ignibus

---

[1]) Jo. 6. 62. — [2]) Sess. 13. cap. 2. — [3]) *Ad pop. Antioch.* hom. 61.

Digitized by Google

ardeant? Qui fit, ut eadem semper venialium culparum sarcina constricti, ad tuum quotidie Altare, sacrosancta mysteria celebraturi, accedant? Enascitur tanta miseria ex eo quod Sacrum faciunt, neutiquam desiderio acquirendæ sanctitatis ducti, sed impulsi vi consuetudinis vel lucri amore. Hæc est causa, cur in easdem semper culpas relabantur. Interea mors fit eis quotidie vicinior, et, posteaquam eumdem vivendi tenorem usque ad obitum tenuerint, emigrabunt ex hac terra, reddituri tepidæ ac licentioris suæ vitæ severam Christo Jesu rationem.

Tu ergo, si es unus ex illis infortunatis sacerdotibus, vide ne panis iste cœlestis novum tibi coram divino Judice reatum injiciat, nedum tibi sanctitatis incrementa largiatur. Recipe te ad bonam frugem, et recogita mortem tibi quotidie fieri viciniorem. Considera, quinam sint affectus et defectus qui te impediunt, quominus in Dei amore progrediaris; nec affer moram, quin omnia, quæ deprehenderis impedimenta, removeas. Recogita te esse sacerdotem; recogita divinitus tibi obtigisse, ut inter Dei familiares adnumerareris; reco-

Digitized by Google

gita tuam dignitatem esse adeo excelsam, ut ad sublimiorem gradum provehi non potuisses.

**Pii affectus.**

Dignaris, Domine qui es Deus infinitæ majestatis, venire hodie in animam meam et in ea diversari! Quoniam vero summa tua sanctitas in sanctis tantum habitationibus sese oblectat, dicente Psalmista: *domum tuam decet sanctitudo, Domine,*[1] quî potero ego te recípere, cum adeo imperfectus sim et tam multis sordeam vitiis? *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.*

O mi Redemptor, si nunc in tuum judicium vocarer, quam severa mihi reddenda foret ratio de tot a me celebratis Missis, et de tot in sacerdotio transactis annis? Exspecta me, Domine, et prolata tempus quo me judicaturus es: *Non intres in judicium cum servo tuo.*[2] Exspecta me adhuc aliquantulum et miserere mei: *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar.*[3] Fac vitæ

---

1) Ps. 92. 5. — 2) Ps. 142. 2. — 3) Job. 10. 20.

meæ inducias, ut ita de ingrato meo in te animo dolere valeam. Tu elegisti me in sacerdotem; sed eheu! sacerdote quam indignam vitam duxi! Deberem utique, post tot celebratas Missas, et post tot susceptas Communiones, tui amore ardere, omni culpæ macula vacare, atque insigni coruscare vitæ sanctimonia. Per te quidem non stetit, quominus summum sanctitatis gradum assequerer. Si eum non sum assecutus, culpa penes me solum est, quia gratiæ tuæ effectus jugiter inhibui. Non promovit vita mea gloriam tuam; quin potius eam imminuit. Tu eduxisti me ex sæculo, et ego sæculum plus quam ipsi sæculares dilexi. O mi Deus, subeat te commiseratio mei! Ne derelinquas me; volo enim resipiscere. Pœnitet me ex intimo corde toties tibi displicuisse, mihique in animo fixum est ad tuum me convertere amorem. Volo hac ipsa hora, qua ad Altare suscipiendi te causa redeo, inchoare novam hanc vitam, quæ tuo amori tota impendatur.

Amo te, Deus animæ meæ; amo te, Salvator mi, qui ideo mori voluisti, ut æternam mihi salutem comparares meque

Digitized by Google

sacerdotio insignires. Tribue mihi omnium, quæ hucusque commisi, peccatorum remissionem, et sana me. Divelle me a sæculo, et conjunge me arcte tecum; et quoniam me tibi in sacerdotem elegisti, fac ut vitam, quæ sacerdotem deceat, deinceps degam. In tuis meritis, care mihi Redemptor, sitæ sunt spes meæ. Offero tibi hodie, æterne Pater, Filium tuum in sacrificium, et suppliciter te oro atque obtestor, ut me facias fieri unum ex illis, qui sunt toti tui. O Maria sanctissima, ora Jesum pro me.

### Gratiarum actio.

Venisti denuo, dulcissime Jesu, ut animam meam visitares. Gratias, quas possum maximas, tibi pro tanta dignatione habeo et ago. Quoniam vero apud me nunc diversaris, fac mihi precor audire vocem tuam et edoce me, quid me, ad omnem voluntatem tuam ac nutum paratum, facere velis. Equidem non sum amplius dignus, quem tu alloquaris, eo quod multoties ad vocem tuam, quæ ad tui amorem me alliciebat, surdus remansi, tibique contumeliose tergum verti. At vero, jam

Digitized by Google

dolui de meis in te peccatis, de iisque nunc iterum doleo, et spero, ea mihi jam esse remissa. Tu igitur dicito quid a me velis; volo enim in omni re tibi morem gerere.

Utinam Domine, te semper amavissem. Sed eheu! quam multos annos amisi! Verum sanguis tuus tuaque promissa in spem me erigunt fore, ut temporis jacturam resarciam, in hanc solam deinceps curam incumbens, ut te amem tibique in omni re placeam.

Amo te, Redemptor meus; amo te, Deus meus, neque aliud mihi in votis est, nisi ut te ex toto corde meo amem, atque ipsam meam vitam pro te profundam, qui tuam pro me profudisti. *Amore amoris tui moriar,* dicam tibi cum S. Francisco, *qui amore amoris mei dignatus es mori.* Tu, o bone Jesu, totum te mihi dedisti; dedisti mihi sanguinem tuum, tuam vitam, sudores tuos, merita tua; nihil jam superest, quod mihi dones. Quapropter ego quoque totum me tibi dono, renuntians universis, quas habere possem, delectationibus ac sæculi voluptatibus; dono tibi corpus meum, animam meam, voluntatem meam. Non est aliquid ultra, quod tibi

Digitized by Google

donare possim. Si quid amplius haberem, donarem tibi amplius. Tu solus, Jesu mi, mihi satis es.

Fac, Domine, ut fideli semper in te sim animo. Ne sinas me, mobilitate voluntatis meæ, ita abripi ut a te deficiam. Spero per tuæ Passionis merita numquam me tantæ calamitati fore obnoxium. Tu dixisti: *nullus speravit in Domino, et confusus est.*[1] Fidenter igitur dicere possum: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Spero, o Deus animæ meæ, et volo semper sperare, non amplius me passurum esse confusionem videndi me separatum a te. *In te Domine speravi, non confundar in æternum.*[2]

Mi Deus, tu es omnipotens; fac me fieri sanctum; fac me adeo amantem tui ut, quæcunque in gloriam tuam redundare cognovero, lætus aggrediar, et omnes, ad tibi placendum, difficultates vincam. O me beatum, si universis bonis creatis nudatus, te solo potiar, tuumque mihi amorem acquiram! Ideo vita mihi data est, ut tibi soli vivam; fac igitur ut eam in promo-

---

[1]) Eccl. 2. 11. — [2]) Ps. 30. 2.

vendis gloriæ tuæ operibus impendam. Non mereor præmia, sed pœnas. Quapropter oro te, ut in me, sicut tibi placuerit, animadvertas, dummodo gratia amandi te non destituar. Toto amore tuo dilexisti me; volo ego vicissim, o infinita Bonitas et Caritas infinita, toto te amore meo diligere. O voluntas Dei, tu es amor meus. O mi Jesu, tu pro me mortuus es. Utinam possem et ego pro te mori, et moriendo id efficere, ut omnes in tui amorem inducerentur. O bonum infinitum, o infinita amabilitas, pluris te facio, et magis te amo quam reliqua bona omnia.

O Maria, trahe me totum ad Deum: fac tibi confidam, et semper ad te recurram. Tuum est pro me intercedere et me reddere sanctum; a te hoc ego spero. Amen.

Digitized by Google

## SERIES TERTIA.

## Considerationes desumptæ ex mysteriis Christi patientis.

### Die Dominica.

**Præparatio ad Missam.**

**Jesus procedit obviam inimicis qui eum comprehendunt et ligant.**

Non ignorabat Dominus Jesus, cum in Horto Gethsemani prolixius oraret, propius jam accedere Judam cum militibus, ut se comprehenderent ac ligarent. Non exspectat eorum adventum, sed ipse ultro progreditur, ut eorum se manibus tradat. Diffluebat adhuc illo mortis sudore quem, in agonia factus, abunde sparserat; sed quoniam nostri amore flagrabat ac miro pro nobis patiendi desiderio tenebatur, accessit ad dormientes discipulos, eosque allocutus: *surgite,* inquit, *eamus; ecce qui me tradet prope est.*[1])

Ergo tam flagrans mi Salvator, infuit tibi pro nobis moriendi desiderium, ut ultro te morti offerres. Ecce me Domine! Accedo ad altare, illud ipsum renovaturus sacrifi-

[1]) Marc. 14. 14.

Digitized by Google

cium, quod tu olim in Calvariæ monte obtulisti. O quantum doleo, recogitans me in te peccasse et fuisse contemptorem tui, qui me tanto amore prosecutus es, ut me in sacerdotem tibi eligeres! Averti me contumaciter a te, sed nunc nihil jam aliud mihi in votis est, nisi ut vivam tecum semper conjunctus. Ignosce mihi, Redemptor mi, antequam hodie in animam meam venias; obliviscere omnium, quas cordi tuo hucusque intuli, acerbitatum; nullum enim malum est, quod æque ac mea in te peccata detestor. Ne sinas, precor, me in posterum rursus tibi displicere. Amo te, Jesu mi, qui mortem pro me obiisti; amo te, mi Deus, qui infinito amore dignus es; amo te, unicum Bonum meum, et amore tui ductus renuntio rebus creatis omnibus. *Deus meus, et omnia!* Tu solus, Jesu mi, mihi satis es.

Offero tibi, æterne Pater, hoc sacrificium in gratiarum actionem pro omnibus, quæ sacrosanctæ Jesu Christi humanitati, et Virgini Deiparæ, universisque sanctis meis Patronis, concessisti, donis ac muneribus. Commendo tibi Summum Pontificem, principes christianos, meos bene-



Digitized by Google

factores, amicos atque inimicos. Commendo tibi etiam infideles, hæreticos, eosque omnes, qui tua gratia exciderunt. Da eis lumen et robur, ut e miserabili, in quo vivunt, statu emergant. Mihi vero, qui tuam, ut spero, gratiam jam recuperavi, concede sanctam perseverantiam. O Maria, mater perseverantiæ, precare Jesum pro me, nec pro me unquam precari desine.

### Gratiarum actio.

Domine Jesu, qui sub humilibus panis et vini speciebus ad me venisti, adoro te in meo corde præsentem; ad tuos pedes procido, et ago tibi gratias pro immensa illa bonitate, quæ te impulit, ut apud me hospitareris, apud me pauperrimum peccatorem, qui te toties ab anima mea extrusi.

Cum subit recordatio omnium injuriarum, quibus te, meum Redemptorem, per totam vitam meam affeci, injicitur mihi tantum dolendi desiderium, ut cuperem præ dolore mori. Ago tibi gratias, quod mihi facis inducias eluendi maculas, quibus animam meam coinquinavi. Transegi vitam meam in tui amoris contemptu; sed hinc

in posterum volo amare te solum, et tibi soli placere, *Deus meus et omnia!* Exhinc tu eris unicum meum Bonum et Amor meus unicus. Opto, o Amor animæ meæ, tibi me totum donare. Si nesciam, quomodo facienda sit donatio, tu ipse me tibi sumito. *Trahe me post te in odorem unguentorum tuorum.*[1]) O Verbum incarnatum! O hominum amator Deus, allice me blandis tuis illecebris tam valide ut, ab omni in res creatas amore abstractus, in tui amorem totus conjiciar. Fac ut vere dicere possim: *Quid mihi est in cælo et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum.* Potire, Domine Jesu, potire toto corde meo ac tota mea voluntate, ita ut ego deinceps nihil velim nisi quod tu vis, nihil quæram nisi quod tibi placet, nihil amem nisi quod tibi gratum est. *Deus cordis mei et pars mea in æternum.* Eligant sibi alii alia in hoc mundo, utcunque eis placuerit; tu solus es mea portio, et mea futurus es portio in æternum.

[1]) Cant. 1. 3.



Digitized by Google

Nihil quidem ex me possum, sed cum auxilio gratiæ tuæ possum omnia: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Pollicitus es, quotquot te oraverint exauditum iri: *Petite et accipietis.* En quas mihi gratias exoro: largire mihi sanctam perseverantiam, largire mihi amorem tui; nec aliud quidpiam posco. Per tuæ Passionis merita, exaudi me, o Jesu. Tuæ precationes possunt omnia, o advocata mea Maria; precare igitur pro me, et, per amorem, quo Jesum amas, annue meis benigna votis.

## Feria II.

### Præparatio ad Missam.

Jesus sistitur Caiphæ et damnatur ad mortis supplicium.

Non reperiebat Caiphas, iniquus ille Pontifex, in multis, quæ adversus innocentem Dominum dicebantur, testimoniis, unde eum ad mortis supplicium damnaret. Quapropter volens ex ipsis ejus responsis damnationis ansam arripere, sic eum, interposito Dei nomine, interrogat: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.*[1] A Pontifice sic adjura-

[1]) Matth. 26. 63.

tus, respondet Dominus, veritatem aperte palamque declarans: *Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli.*[1]) Ad hanc vocem impius Caiphas dilacerat sibi vestem, exclamans: Quorsum alia jam quærimus testimonia? Audistis, qualem protulerit blasphemiam! *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?*[2]) Et ad reliquos sacerdotes conversus: *Quid*, inquit, *vobis videtur?* Qui responderunt: *Reus est mortis.* At lata jam fuerat eadem hæc mortis sententia ab æterno Patre, cum Jesus pœnas, quæ nostris peccatis debebantur, in se reciperet, seque pro nobis sponsorem offerret. Gratias tibi ago, o Jesu, et ex toto corde te diligo.

Promulgato condemnationis decreto, omnes eo incumbunt, ut condemnatum quam plurimis tormentis afficiant: hic in ejus faciem inspuit, ille percutit eum pugno, alii cædunt eum colaphis, et illudunt ei tanquam falso prophetæ: *Tunc exspuerunt in*

---

[1]) Marc. 14. 62. — [2]) Matth. 26. 65.

Digitized by Google

*faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?*[1] Et velantes sacrosanctam ejus faciem vili panniculo, sicut subdit S. Marcus, omnes sæve eum, per vices, percutiunt.

O quot et quantæ, Jesu mi, perferendæ tibi fuerunt contumeliæ, ut pro contumeliis, quibus Deum affeci, satisfaceres! Amo te, infinita Bonitas, et doleo vehementer, quod te tantopere peccatis meis contempsi. Ignosce mihi, et fac clementer ut sim totus tuus. Volo in omnibus et per omnia esse tuus. Tuum est explere hoc meum desiderium. Et tu quoque advocata et spes mea, Maria, debes tuis me adjuvare precibus, et ita me reddere totum Dei.

### Gratiarum actio.

Tu, Jesu, divine Pastor, de cœlo in terram descendisti, ut me perditam ovem salvares; et ego a te me averti, conjiciens me in novos errores: *Erravi sicut ovis quæ*

---

[1]) Matth. 26. 67. 68.

Digitized by Google

*periit, quære servum tuum.*[1]) Equidem spero te mihi jam remisisse injurias, quas hucusque tibi feci. Verumtamen, si nondum veniam mihi largitus es, ignosce mihi nunc quum in meum cor venisti. Pœnitet me ex tota anima mea, quod tuam olim gratiam contempsi; eam in præsenti pluris æstimo quam quælibet alia bona, et malo millies mori quam ejus iterum facere jacturam. Quid enim in hoc mundo vivere juvat, si vita in tuæ gratiæ privatione transigitur? Tu idcirco mortem, o Jesu, pro omnibus et singulis obiisti, ut nemo jam sibi viveret, sed tibi soli, qui pro nobis vitam tuam profudisti. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.*[2]) Præterito tempore fui immemor tui et mihi soli vixi; sed exhinc volo vivere tibi, qui pro me mortuus es; volo oblivisci omnium, ut de te solo cogitem amemque te solum, qui me tantopere amasti. Ut autem hoc consilium effectu compleam, indigeo tuo adjutorio, quod mihi certissime datum iri spero, propter hanc tuam promissionem:

---

[1]) Ps. 118. 176. — [2]) II. Cor. 5. 15.

*Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*[1]) Peto igitur tuum adjutorium per merita tuæ Passionis, illudque mihi spero.

*Adveniat regnum tuum.* Regna, o bone Jesu, regna in omnes animæ meæ potentias, nec sinas me iterum in te fieri contumacem. Amo te, infinita Bonitas, et precor, *ne permittas me separari a te.* Fac, ut moriar potius quam ut tuæ unquam fiam amicitiæ exsors. *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* O Maria, præpotens advocata illorum, qui in tua intercessione confidunt, ego spem meam in te repono, sicque spero vitam æternam. Et propterea lætus cum S. Bonaventura te alloquor, dicens: *in te, Domina, speravi; non confundar in æternum.*

## Feria III.

### Præparatio ad Missam.

**Jesus irridetur ab Herode.**

Mane facto, Judæi conduxerunt Jesum ad Pilatum, ut iterum capite damnaretur ac morti traderetur. Interrogat ergo eum Pilatus; sed audita, quæ in innocentissi-

---

[1]) Jo. 14. 14.

Digitized by Google

mum Dominum fingebatur, criminatione, negat se quidpiam in eo reperire, quod condemnatione dignum esse videatur: *Ego nullam invenio in eo causam.*[1]) Ut vero ulteriores sacerdotum, qui pertinaciter ejus morti inhiabant, expostulationes declinaret, edoctus Jesum esse Galilæum et Herodis idcirco potestati subjectum, decrevit eum ad illius principis tribunal remittere. Erat Herodes Jesum videndi percupidus, quia futurum esse sperabat, ut testis fieret unius ex multis illis miraculis, quorum fama ad se pervenerat. Ut igitur eum sibi adstantem conspexit, cœpit pluribus eum interrogare sermonibus. Sed quoniam ad interrogata nihil Jesus respondebat, tractavit eum cum suis aulicis tanquam hominem mente captum; et, in ludibrii signum, jussit eum veste alba indui; sicque indutum ad Pilatum remisit: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum.*[2]) Recte igitur et merito Isaias prædixit te, o Jesu, tanquam vilissimum ac novissimum virorum hac in terra tractatum iri. Sed quoniam

---

[1]) Jo. 18. 38. — [2]) Luc. 23. 11.

tu, mi Redemptor ac Deus, in tantam contemptionem mea causa venire voluisti, volo ego quoque amanter omnes, quæ mihi obventuræ sunt, amplecti humiliationes, nec amplius, sicut hucusque displicens tibi feci, succensere illis, quorum fuero contemptui obnoxius.

O vere infelicem Herodem, quem pessima sua vita fecerat Christi alloquio indignum! Sum ego quoque, tuo, Jesu mi, alloquio indignus, nec mereor, qui tuam ultra vocem audiam; sed subeat te commiseratio mei. Perge, sicut fecisti, me alloqui. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Præterito tempore, nolui tibi famulari; sed exhinc, amore tui ductus, volo fidelem tibi præstare famulatum. Dic quid a me velis; sum enim paratus ad omnem tuam me conformare voluntatem. Quando istud erit, o bone Jesu, ut nihil meus sim, sed totus tuus? Nolo amplius amantissimis tuis reniti invitationibus. Omnia possunt precationes tuæ, o Maria; precare igitur Filium tuum pro me, ut, qualem ipse me desiderat, talem quoque me efficiat.

Digitized by Google

### Gratiarum actio.

O Jesu, o mi Deus, fac ut in dies melius cognoscam tum infinitam, quæ tibi inest, bonitatem, tum immensum amorem, quem mihi demonstrasti, transigendo mea causa totam vitam tuam in doloribus, et perferendo pro me mortis supplicia; tum demum illam liberalitatem, quæ te induxit, ut teipsum mihi tam frequenter in SS. Eucharistiæ Sacramento donares. *Semetipsum nobis immiscuit*, ait Chrysostomus,[1]) *ut unum quid simus; ardenter enim amantium hoc est.* Flagrantissimus scilicet amor, quo in me ardes, impulit te, o mi Salvator, ut te mihi converteres in cibum, qui a me manducatus, totum me tibi admisceret.

Veni ergo, o prædulcis Jesu, veni in amplexum animæ meæ, et potire ea tota. Conjunge eam arctissime tecum, ab eaque omnem in res terrenas affectum ita expelle, ut ipsa te solum diligat, de te solo cogitet, loquatur de te solo, et te solum desideret ac quærat. Quid enim me dele-

[1]) *Ad pop. Antioch.* hom. 61.

Digitized by Google

ctari potest, nisi tu solus, qui es infinita Bonitas, et qui tanto me amore prosecutus es, ut mortem mea causa obire non dubitaveris? Quid vero induxit te, Jesu mi, ut inter tot tibi fideles famulos me ingratum homuncionem tibi in sacerdotem eligeres? Ego toties contumaciter a te recessi, et tu dignaris venire quotidie in manus meas, imo in cor meum. O me miserum! si, post tot accepta beneficia, tua gratia iterum exciderem! In præsenti amo te, Domine, ex tota anima mea, et ex intimo corde doleo de omnibus quas tibi irrogavi injuriis. Nolo amplius offendere animum tuum; etenim nihil aliud mihi in votis est, nisi ut totis te viribus diligam. Succurre mihi, et noli tuo me destituere adjutorio. Cum S. Bernardo tibi dico: *Vulnera tua sunt merita mea.* Ita plane, spes meæ sunt in vulneribus tuis, in tuo sanguine et in morte tua. Da mihi sanctam perseverantiam, et excita me, ut in omnibus meis tentationibus ad te confugiam; adauge amorem in te meum, et dein fac de me quidquid volueris. O Maria, Regina mea, impetra mihi illam gratiam quæ me faciat ad te semper recurrere; qui

Digitized by Google

enim semper ad te recurrit, nullam unquam a tartareo hoste accipiet cladem.

## Feria IV.

### Præparatio ad Missam.

Jesus flagellis cæditur et coronatur spinis.

Agnoscit quidem Pilatus innocentiam Jesu; sed, ut Judæorum odium satiet, eo procedit injustitiæ, ut innocentem Dominum ad flagellationis supplicium condemnet, in spem erectus, fore ut atroci hoc supplicio furentes Judæorum animos ad commiserationem flectat, atque ita, quem interfectum volebant, a morte saltem eripiat. Non detrectat Dominus sævum supplicium, volens hac sua flagellatione luere et expiare pœnas, quæ nostris per sensus commissis culpis debebantur. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.*[1]) Mea igitur peccata, non autem carnificum flagella in causa fuerunt, cur sacrosanctum tuum corpus, mi Salvator, tam sæve dilaniatum fuerit. Si minus ego peccassem, minora tibi sustinenda fuissent tormenta. Amo

[1]) Is. 53, 5.

Digitized by Google

te, o summum Bonum; et ex intimo corde doleo, quod in te peccavi teque contempsi.

Nec vero Judæorum furor immani flagellationis supplicio expletur. Ipsis instigantibus, milites imponunt flagellato Domino spineam coronam, sicque coronatum tanquam scenicum regem illudunt. Tum vestibus eum spoliant, et injecto in ejus humeros purpureo vestimento, ac data in ejus dexteram arundine, premunt spinarum fasciam, quo altius in sacrosanctæ ejus fronti ac vertici infigatur.

O mihi care Redemptor, probe scio, quæ sint sævæ illæ spinæ, quæ tuum caput tantopere discruciant. Spinæ illæ sunt voluntatis meæ in peccatum consensus. O me infelicem, qui tam horridam tibi coronam contexui! Sed nunc detestor omnia, quæ admisi peccata, eaque pejus quam quælibet alia mala abominor.

Post hæc milites derident Dominum et salutant eum per ludibrium regem Judæorum. *Illudebant ei dicentes: Ave rex Judæorum.*[1]) *Et dabant ei alapas.*[2]) Nunc utique, Jesu mi, non alius esse videris

---

[1]) Matth. 27. 29. — [2]) Jo. 19. 3.

quam rex scenicus et vir dolorum; sed ego agnosco te ut verum meum regem ac Dominum. Ago tibi gratias et super omnia te diligo. Ita, o mi Jesu; quia pro me flagellatus et spinis coronatus es, ego diligo te super omnia. Tu vero fac renuntiem omnibus: da ut in solo tui amore conquiescam. O Maria, mater Dei, ora Jesum pro me.

**Gratiarum actio.**

Quid jam tibi, o incarnatum Verbum, faciendum superest, ut evidentioribus argumentis nobis significes immensam illam, qua tu nos viles ac scelestos terræ vermiculos prosequeris, caritatem? Quid jam ultra inventu remanet, ut nos ad te redamandum provoces? O illum infelicem, qui vivit tui amoris expers! et ideo, o me infelicem, qui non modo tui amoris expers vixi, sed tuam etiam patientiam tam multis lacessivi injuriis! Quoties enim, o Deus animæ meæ, amicitiam tecum disrupi, ut vili aliqua voluptate perfruerer! Quoties prorupi, audiente te, in hanc contumaciter vocem: *non serviam.* O me infortunatum! sed nunc doleo, o Deus animæ meæ, et

quidem ex intimo corde doleo, quod me tam ingratum erga te gessi. Merita mortis tuæ sunt spes meæ. Per hæc merita spero mihi concessum iri veniam, et in tuo amore perseverantiam usque in finem. Tu vis a me amari, et ideo, a tot jam annis, omnibus meis instas vestigiis, ut me ad tui amorem allectes. Nolo amplius hisce tuis allectationibus obsistere. Quid enim? Obsistamne donec in infernum tandem detrudar? O Bonitas infinita! ego amo te; amo te, mi Deus, qui infinito amore dignus es; amo te, et volo semper, in hac et in altera vita, eamdem hanc vocem iterare: amo te, amo te, amo te.

*In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Deus veritatis.* Noli me, o bone Jesu, derelinquere. Tu descendis quotidie de cœlis in terram, ut cibus mihi factus, animam meam tibimet admisceas. Ne sinas, quæso, me denuo separari a te. Nunc nihil aliud mihi in votis est, o Jesu, amor meus et spes mea, nisi ut sim tuus et totus tuus. Da mihi robur, ut hoc meum votum effectu compleam: *O bone Jesu, exaudi me.* Effectu autem illud certe complebo, si tu, Virgo Deipara, pro me pre-

Digitized by Google

caberis. Tu ergo, *o Maria, exaudi me*, et precare pro me.

## Feria V.

### Præparatio ad Missam.

**Pilatus ostendit Jesum populo dicens: Ecce Homo.**

Pilatus, ubi Jesum ad se reductum, atque ex inflictis ictibus multifariam saucium conspexit, sperare cœpit fore, ut Judæi ex tam miserando aspectu ad commiserationem inflecterentur. Quare, educens secum perdolentem Dominum, exivit foras ad populum et dixit: *Ecce Homo.* Tum vero comparuit Jesus coronatus spinis, rubroque indutus vestimento: *Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum.*[1]) Contemplare, anima mea, Redemptorem tuum, consistentem in illo suggestu, et perpende tecum, quousque amantissimus pastor progressus sit, ut te, perditam suam ovem, æternæ morti eriperet. Sint tibi grates, o mi Jesu! ego vero *misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.*

Verumtamen flebilis aspectus Jesu Judæos minime ad commiserationem flexit;

[1]) Jo. 19. 5.



Digitized by Google

quin potius eorum furorem magis acuit, ita quidem ut omnes conjunctim vociferari inciperent: *Crucifige, crucifige eum.* Pilatus vero, innocentiæ Domini bene conscius, tentat omnia, ut eum a morte liberet; sed quo intentius eum liberare nititur, eo magis increscit furentis populi vociferatio: *Tolle, tolle: crucifige eum.* Heu me miserum! Incidit quondam lamentabile tempus, quo et ego, Jesu mi, mortem tibi quodammodo inferre tentavi, cum te ex anima mea ejeci. Nec tamen pessima mea voluntas præpedivit te, quominus vitam tuam pro me cruci affixus profunderes, ad impetrandam mihi meorum peccatorum veniam. Agnosco nunc, o mihi care Redemptor, magnam, qua te affeci, injuriam, et vellem ad ejus expiationem, præ doloris acerbitate, meam quoque vitam amittere. Ex intimo corde pœnitet me, quod te, Bonitatem infinitam, olim contempsi. Nunc amo te, tuamque gratiam pluris facio quam universa, quæ in cœlis et in terra sunt, bona. De cætero, quid prodest frui omnibus creatis bonis, tuæ vero expertem esse gratiæ? Tu amasti me usque ad mortem, et ego usque ad mortem amare te volo. Da mihi sanctam

Digitized by Google

perseverantiam, da mihi sanctum tui amorem, et fac ut, per omnem quæ mihi supererit vitam, non amplius tibi displiceam, nec de alia amplius re quam de te amando cogitem.

O sanguis Jesu, fac ut sancto tui amore inebrier. O mors Jesu, fac ut omni in res terrenas amori moriar! O mihi care Salvator, libera me ab inferno, quem toties merui. In inferno enim non amplius te amare possem; quin etiam ibi cogerer maledicere sanguini tuo, tuæ morti, et omnibus a te mihi præstitis beneficiis. Absit tale a me infortunium! te enim amo, et volo amare te solum. Adjuva me, ut amem te, et dein fac de me quidquid volueris. O Maria, refugium et Mater peccatorum, succurre mihi peccatori, qui, cupidus amandi Deum, ad te confugio, meque tibi commendo. Tu, quæ omnium precibus annuis, annue meis quoque precibus, et per amorem Jesu Christi, qui te tantopere diligit, exaudi me.

**Gratiarum actio.**

*An nescitis quoniam . . . non estis vestri? Empti enim estis pretio magno.*[1])

[1]) I. Cor. 6. 19, 20.



Digitized by Google

Sic nos alloquitur Apostolus; et ita res se habet. At ego, immemor tui, mi Jesu, eo dementiæ processi, ut multoties tuæ gratiæ tuoque amori pro vilissimis rebus renuntiarim. Hæc quidem vera sunt; sed et illud verum est, me esse unum ex illis peccatoribus, quos tu ipsius tui sanguinis pretio tibi comparasti: *Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Amo te, mi Jesu, super omnia bona, et, quia te amo, doleo ex toto corde quod tibi displicui.

O me miserum! quam multos perdidi annos, quos servitio tuo et meæ sanctificationi impendere potuissem, quos vero in hoc insumpsi, ut te afficerem injuriis, animæque meæ perniciem inferrem. Sed quia misericors es et clemens, inducor in spem, fore ut præteriti temporis jacturam resarciam, conduplicando meum in te amorem. In Cruce et in sanctissimo Sacramento, tu teipsum, o bone Jesu, mihi donasti. Ecquid vicissim miserabilis ego tibi donabo? Dono tibi omnia, quæ hac in terra mihi esse possunt oblectamento; dono corpus meum, meam animam, meam voluntatem, libertatem meam. Si futurum

Digitized by Google

esse prænoscis, ut ego meam voluntatem, ad iterandas meas in te offensas in posterum resumam, aufer nunc mihi, precor, vitam, nunc, quum in gratia tecum me esse confido. Æterne Pater, tu elargiris omnes, quæ in Christi Jesu nomine petuntur, gratias. Elargire ergo mihi geminam gratiam, quam in nomine Jesu mihi exoro: gratiam scilicet sanctæ perseverantiæ, et gratiam sancti amoris tui. O Maria, tu es mater perseverantiæ; tu annuis precibus omnium: a te ergo peto sanctam perseverantiam; et fidenter eam a te exspecto.

## Feria VI.

### Præparatio ad Missam.

Jesus adjudicatur morti, et portat crucem in montem Calvariæ.

Ecce Pilatum in suo sedentem tribunali, et ferentem illud damnatorium decretum, quo Jesus crucis supplicio addicitur. Legitur iniqua sententia, a Pilato quidem lata, sed jam antea decreta ab æterno Patre, qui Filium propter nostram salutem mortis supplicio addictum volebat. Audit Jesus damnatorium judicium, et in Patris voluntate plane acquiescens, annuit con-

Digitized by Google

demnationi, volens morte sua nos ab æterna, qua digni eramus, liberare morte. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*[1])

O mi Jesu, tu non recusas mori pro me, ut morte tua januam æternæ vitæ mihi patefacias. Si non fuisses pro me mortuus, in æternam utique perniciem jam ruissem. O mi Amor, ago tibi gratias. Mors tua est spes mea. Et quoniam morti tuæ mea causa annuisti, ego similiter, causa tua, meæ morti annuo, intendens eam illo subire tempore, quo tibi placuerit, cum universis, qui ipsam comitaturi sunt, doloribus. Sed precor te, ut mihi gratiam concedas moriendi cum desiderio placendi tibi, tuamque exsequendi voluntatem.

En vero Jesum egredientem ex ædibus Pilati, propriis humeris crucem, cui est affigendus, portantem et procedentem ad locum supplicii, id est ad montem Calvariæ. En grande spectaculum, quod olim exhibitum est oculis mortalium, qui Creatorem pro suis creaturis mortis supplicio afficiendum

---

[1]) Phil. 11. 8.

conspexere. O Jesu, o mi Salvator, o amor animæ meæ, tu iter ad Calvariam ingrederis, ut pro me moriaris. Ecce me, volo sequi te, et mori tecum. Heu me infelicem! fuit tempus, quo te sprevi tibique tergum verti; nunc vero amo te, et ex intimo corde pœnitet me omnium, quas tibi intuli, injuriarum. Promitto me non amplius a te recessurum, tibique fore fidelem usque ad mortem. Amplector te tota mente, et volo in tuo amplexu vivere et mori. Tu vero, nolito unquam tua me gratia destituere; et tu similiter, carissima advocata et tutrix mea, Maria, advigila mihi semper, et tuo perpetuo tege me patrocinio.

### Gratiarum actio.

*Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.*[1])

Tanto igitur nos amore dilexit Dominus Jesus, unigenitus Dei, ut cruci affixus vitam pro nobis, præ doloris acerbitate, exhalarit. Quis enim vitam ei eripere potuisset, cum Deus sit, nisi ipse ab ea recedere voluisset? *Ego pono animam me-*

---

1) Eph. 5. 2.

*am; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso.*[1]) Anima mea, si forte de tui Salvatoris amore dubitas, contemplare eum in cruce pro te mortuum. Numquid majus tibi dilectionis pignus dare potuisset, quam profundere tua causa sanguinem et vitam? *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.*[2])

Tu tuam, Jesu mi, vitam dedisti, ut æternam mihi salutem comparares, et ego a tua amicitia recessi, ut nugas consectarer, ut excandescerem in vindictam, ut vilem aliquam voluptatem explerem. Pœnitet me sic egisse, tantoque inde dolore afficior, ut de nullo alio adverso casu æque doleam, ac præ doloris acerbitate mori exoptem. Tu, quæso, per tuæ mortis merita ignosce mihi, et in pignus concessæ veniæ, da, ut ille de meis peccatis dolor sit perpetuus, meusque in te amor continuis incrementis augeatur. Sentio, beneficio gratiæ tuæ, mihi nunc inesse grande amandi te desiderium, et firmissimum tibi soli vivendi propositum; sed cognosco mei animi imbecillitatem, nec ignoro, quam frequenter

[1]) Jo. 10. 17, 18. — [2]) Jo. 3. 16.

Digitized by Google

te hucusque prodiderim. Tu solus potes reddere me propositi mei tenacem et in famulatu tuo ita fidelem, ut nulla amplius in re tibi displiceam. Adjuva me, o mi Amor; fac ut amem te, nec quidpiam aliud ultra posco.

*In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur.*[1]) Hic igitur, Salvator mi, fuit mortis tuæ finis unicus: Mortuus es, ut nostris cordibus solus dominarere. Fuit quidem tempus quo ego tuam in me dominationem abjeci; sed nunc eam accipio, et volo esse totus tuus. In posterum tu solus esto cordis mei dominus, et fac ut cor meum tibi in omni re obtemperet. Dic quæ a me fieri velis. Adjuvante te, exsequar omnia. O Maria, precare Jesum pro me; tuum est Deo me reddere fidelem.

## Sabbato.

### Præparatio ad Missam.

**Jesus, doloribus obrutus, moritur in cruce coram perdolente genitrice Maria.**

Ubi primum Jesus in montem Calvariæ pervenit, carnifices rursus vestibus eum

[1]) Rom. 14. 9.

spoliant, et prosternunt in crucem. Prostratus, ipse manus suas ultro extendit, ut clavis affigantur, offerens insimul Deo Patri grande suum sacrificium, id est seipsum pro hominum salute cruente mactandum.

Nec mora: prehendunt carnifices clavos et malleos, et, perforatis Domini manibus et pedibus, cruci, in qua moriturus est, eum affigunt. Quî vero fieri potest, o homines, ut Deum vestrum ex probroso hoc ligno pendentem, et pro vobis morientem intueamini, quin ad talem aspectum in ejus amorem excandescatis?

Jesus suffixus cruci! En supremum spectaculum, quod orbis terrarum Dominus, discessurus ex hoc mundo, nobis in se videndum exhibuit. En supremum sui in nos amoris pignus et monumentum. Contemplatus est olim S. Franciscus de Paula istud caritatis spectaculum, et extra se raptus, in hanc vocem erupit: o Deus! o Deus Caritas! o Caritas Deus! Nec mira videatur hujusmodi exclamatio. Quis enim mortalium verbis unquam explicare aut cogitatione assequi poterit, quanta fuerit illa Domini caritas, quæ eum in-

Digitized by Google

duxit, ut cruci affixus vitam pro nobis, miseris suis creaturis, profunderet.

At vero, o me infelicem! Quamvis, Jesu mi, tantæ tuæ in me caritatis non essem ignarus, volui tamen contemnere gratiam tuam, tuæque renuntiare amicitiæ. Sed in sanguine tuo sunt spes meæ. Doleo, Amor mi, et super omnia quidem doleo, quod tam ingratus in te fui atque injuriosus. Amo te ex toto corde meo, amo te super omnia; et promitto me nihil unquam extra te esse amaturum.

Accede, anima mea, accede humilis atque amans ad hanc crucem, in qua moribundus tuus Dominus pendet affixus. Osculare hanc aram, in qua Creator tuus sese offert in sacrificium et inter summos dolores emoritur. Asperge te abunde Salvatoris tui sanguine, qui ex sacrosanctis ejus profluit pedibus; in hoc cruore ablue peccata tua, et spera tibi omnia bona. O mi Jesu, nolo amplius esse meus; volo esse tuus et unice tuus. Dic mihi quid me velis facere; volo tibi in omnibus obsequi. Omnia spero a bonitate tua et a tua intercessione, piissima mater Maria.

Digitized by Google

### Gratiarum actio.

*Animam meam pono pro ovibus meis.*[1])

O divine pastor, qui, tuarum ovium amore ductus, in crucis patibulo immensos perferre voluisti dolores, ipsamque subire mortem: ne derelinquas me, tametsi, quas tibi intuli injuriæ, me dignissimum reddunt, qui a te derelinquar. Fui peccator, sed nolo amplius in peccata relabi. Te nunc, o bone Jesu, super omnia diligo, nec est ulla res, quæ majorem mihi dolorem afferat, quam recordatio injuriarum, quibus te præterito tempore affeci. Ago tibi gratias, quod non conjecisti me in infernum, et quod me tam patienter exspectasti. O vere amator animæ meæ, tu non modo non dereliquisti me, sed tantam mei curam gessisti, ut vicinus mihi semper adstares et, pulsando indesinenter ad ostium cordis mei, blandis tuis invitamentis, ita me allexisti, ut in tui tandem amorem me inductum cernam. Ago tibi gratias pro hoc tui amoris munere, et precor, ut tuum in me opus perficias. Da mihi lumen et vires, quibus mihi opus est, ut ab omnibus

[1]) Jo. 10. 15.

Digitized by Google

rebus ad tuum amorem non conducentibus, plane avellar.

Tu dixisti, quotquot te amaverint a te amatum iri: *ego diligentes me diligo.* Præterito tempore resilui a te, et ideo dignum me reddidi, quem tu odio prosequereris; nunc vero ad te me converto, nunc amans te complector, et oro, ut tu quoque te mihi restituas, meque amare digneris. Amari a te pluris ego facio quam amari a creaturis omnibus. Sim odio universis, satis mihi est amari a te, nullumque tormentum subire recuso, dummodo tua nunquam gratia excidam. Conjunge me tecum, et tam arcte me tecum constringe, ut nulla amplius succedere possit disjunctio. *Jesu dulcissime, ne permittas me separari a te.* O Deipara Virgo Maria, tu illud mihi habes impetrare, ut in posterum non amplius ab amore Dei mei removear.

### 5. Amoris suspiria ad Jesum in Ss. Sacramento.

I. *Egredimini, et videte, Filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.*[1])

[1]) Cant. 3. 11.

Egredimini, cœlestis gratiæ filiæ, animæ quæ amatis Deum, exite de hujus mundi tenebris; venite, et contemplamini Christum Jesum, regem vestrum, corona spinea redimitum: qua contemptûs ac doloris corona præcinctus est ab impia matre Synagoga, die sponsalium suorum, id est die mortis suæ, cum suspensus in cruce vos in sponsas sibi assumpsit. Egredimini iterum, et videte hunc regem, pietate et amore plenissimum, qui nunc in eo est, ut ad vos veniat, atque arctissima connexione, in hoc amoris Sacramento, vos secum conjungat.

O quanti, care mihi Jesu, tibi perferendi fuerunt labores, ut in hoc prædulci Sacramento, in amplexum animarum nostrarum venire posses. Debuisti scilicet acerbissima atque ignominiosissima antea morte affici. Veni igitur quam citissime in animam meam. Erat hæc olim, ob sua peccata, tibi inimica. Sed gratia tua id effecit, ut tua fieret sponsa. Agedum, Sponse mi Jesu, veni ad me. Nolo amplius meam violare fidem; mihi enim firmum est in ea stare semper, et more amantis sponsæ de iis tantum cogitare, quibus cor tuum oblectare valeam. Volo

Digitized by Google

amare te, quantum potero; volo esse tuus, totus tuus; ita: Jesu mi, totus, totus tuus.

II. *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.*[1]) Arbuscula myrrha, statim ac inciditur, ex accepta incisione profundit lacrymas et salutis liquorem. Voluit noster ille Jesus, primum in sua Passione, divinum suum sanguinem, ex acceptis vulneribus, cum ingenti suo dolore profundere, ac dein eumdem sanguinem nobis, ad nostram salutem in hoc vivifico pane, sumendum porrigere. Veni igitur, o mi dilecte myrrhæ fascicule, o mei amans Jesu, qui, cum te in cruce vulneratum aspicio, dolorem utique mihi infers ac commiserationem, sed cum te in hoc prædulci Sacramento suscipio, tanta me perfundis jucunditate, ut multo mihi suavior fias quam lectissima uva suavis est sitienti: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.*[2]) Age jam, veni in animam meam, ad eam refocillandam ac sanctissimo tui ipsius amore exsaturandam. O quanta mihi infunditur suavitas, cum illud fore cogito, ut meum suscipiam Salvatorem, qui omnem

[1]) Cant. 1. 12. — [2]) Cant. 1. 13.

suum sanguinem ad mei salutem profundere, atque in cruce pro me mactari voluit. *Inter ubera mea commorabitur.* Ita profecto, tu semper apud me commoraberis; nec enim ego te unquam a me repellam, nec tu unquam a me discedes. Volo te amare semper; volo semper remanere arctissime tecum conjunctus. Semper ero tuus, o Jesu, et tu eris semper meus; ita semper, semper, semper, *inter ubera mea commorabitur.*

III. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*[1]) Cum Dominus Jesus sacramentaliter in animam tanquam in diversorium ingreditur, o quam bene innotescit huic animæ, in clarissima luce, quam Rex iste cœlestis in ea diffundit, quanta sit sua ipsius vilitas ac propria abjectio. Et sicut nardus est omnium plantarum humillima, ita illa sic collustrata anima, omnium creaturarum se vilissimam esse confitetur. Dum vero demisse sic de se sentit, o quam suavi odore amatum suum Regem oblectat, qui eam idcirco ad arctiorem secum conjunctionem allectare non cessat.

[1]) Cant. 1. 11.

Digitized by Google

Tu igitur, anima mea, si Jesum tibi perpetuum hospitem habere desideras, respice ad tuam vilitatem, considerans quid sis et quid tibi pro tuis meritis debeatur. Sentito de te semper demisse, pellendo procul a te omnem de propria tua laude cogitationem, quæ Jesum a te removeret, eumque præpediret, quominus apud te diversaretur. — Veni in me, o mihi care Jesu, et collustra me cœlesti tua luce, ita ut meam pervideam vilitatem, meam miseriam, meum nihilum, sicque me tibi exhibeam ut diversorium, quod tibi placeat, et ex quo tu non amplius discedas.

IV. *Sentite de Domino in bonitate.*[1]) Unde tantus tibi timor, anima mea; unde tanta diffidentia? Vides bonitatem Domini tui; vides infinitum ejus in te amorem. Cur igitur diffidis? Jam digna reddita es, quæ Jesum Christum in te susciperes. Quid vero? Respondentne sensus fiduciæ tuæ immensæ illi bonitati, quæ Dominum induxit, ut tibi totum se ipse donaret? Sane terribilia sunt divina judicia, iis nimirum qui superba sunt atque

[1]) Sap. 1. 1.



Digitized by Google

obstinata mente; humilibus autem, quosque suorum peccatorum pœnitet, et quibus inest Deum amandi eique placendi desiderium, omnia ejus judicia sunt plena misericordia et amore, quoniam ex corde emanant, quod pietate totum atque amore redundat; sunt talia, ut David rex, in iis considerandis, spe, gaudio, ac consolatione totus superfunderetur, lætus sic exclamans: *In judiciis tuis supersperavi.*[1] — *Judicia tua jucunda.*[2] — *Memor fui judiciorum tuorum, et consolatus sum.*[3]

O quam amans est magnus iste Deus noster, et quam benignus in eos, qui amore ducti, eum quærunt! *Bonus est Dominus animæ quærenti illum.*[4] Quam suavis est illis, qui suam voluntatem ad ejus voluntatem conformare student! *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!*[5] — Mi Deus, amor mi, spes mea, mea omnia, te solum volo, ad hocque tantum te volo ut tibi placeam, ut ad tuum arbitrium et nutum me accommodem. Fac te inveniam,

[1]) Ps. 118. 52. — [2]) Ibid. 39. — [3]) Ibid. 52. — [4]) Jerem. Tren. 3. 25. — [5]) Ps. 72. 1.

fac tuum expleam desiderium, fac a te non amplius disjungar. Fiat, fiat! Amen, amen!

V. *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.*[1]) His verbis alloquitur Jesus e Sanctissimo Sacramento illos omnes, qui ipsius amore ac desiderio tenentur. Aperi mihi, inquit, aperi mihi, anima, cor tuum, et ego illud ingrediar ad me conjungendum tecum. Tu vero, ita mecum conjuncta, evades *soror mea* ob tuam mecum similitudinem, *amica mea* ob possessionem meorum, quæ tecum communicabo, bonorum, *columba mea* ob amœnum, quo exornaberis, simplicitatis donum, *immaculata mea*, ob candidissimam, qua refulgebis, cordis munditiam. — Et prosequitur dicens: age sis, aperi mihi, *quia caput meum plenum est rore et concinni mei guttis noctium;*[2]) quasi dicat: considera, dilecta mea, in summa exspectatione te mihi fuisse tota illa malæ vitæ tuæ nocte, quam tu in tenebris atque erroribus exegisti. Nunc vero, ecce me! Venio ad te per viam hujus Sacramenti, non quidem cum flagellis, quibus te ver-

[1]) Cant. 5. 2. — [2]) Cant. 5. 2.



Digitized by Google

berem, sed cum capillis cœlesti illo diffluentibus rore, quo impuros tuos in res creatas ardores exstinguam, ac beato te sancti mei amoris igne inflammem. — Ita, dilecte mi Jesu, veni, et operare in me quod operari desideras. Ego renuntio cuilibet in res creatas amori, ut ita sim totus tuus, ac per te talis efficiar, qualem me esse aves, id est in sancta tua tecum voluntate plane concordem.

VI. *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructus pomorum suorum.*[1]) Invitat his verbis, inquit Cornelius a Lapide, anima Jesum, quem in Ss. Sacramento suscipere desiderat. Veni, dilecte mi (sic eum affatur) veni in pauperculum cor meum, quod, infelici olim casu, non erat tuum, sed quod, auxiliante te, in tui jam possessionem reversum est. *Veniat et comedat fructus pomorum suorum.* Veni et comede in me fructum illarum virtutum, quas ipse tuus ad me adventus mihi infundet. Munda, quæso Domine, ad tuæ saltem Majestatis gloriam, animam meam ab omnibus, quæ eam fœdant, maculis; tuis eam donis ex-

[1]) Cant. 5. 1.

orna; accende eam tui amoris igne, et redde eam adeo formosam, ut tuos oculos oblectet, ac dignum tui habitaculum effici mereatur.

VII. *Ad ubera portabimini.*[1]) Egreditur suavis hæc ad animas invitatio ex sacro altari, ubi Jesus, Sacramenti speciebus velatus, diu noctuque commoratur. Venite, inquit Dominus, et divinum meum lac sugite, id est, bibite meum sanguinem, quem in hoc Sacramento vobis propino. At quis unquam pastor visus est, inquit S. Joannes Chrysostomus, qui oves suas proprio cruore paverit? Etiam matres videre est, quæ filios suos nutricibus alendos tradant. Tu vero, divine Pastor, eo amoris devenisti, ut animas nostras proprio tuo sanguine pascere volueris. Recte proinde atque optime faciebat S. Catharina Senensis, cum in accessu ad Eucharisticam Mensam, tantam divinum illud lac sugendi aviditatem patefaceret, ut infantulo mammam matris appetenti persimilis esse videretur. Recte pariter et optime faciebat Sacra Sponsa sic suum Di-

[1]) Is. 66. 12.

Digitized by Google

lectum alloquendo: *Meliora sunt ubera tua vino*[1]), aperte sic significans (sicut ajunt sacri interpretes), potiorem sibi esse suavitatem lactis, quod in hoc Sacramento præbetur, quam omnes hujus mundi delicias, quæ transitoriæ sunt ac vanæ, haud secus ac transitoria et vana est vini jucunditas et sapor.

O mihi care Jesu, quandoquidem proprio tuo sanguine me hodie in sacra tua Mensa pascere dignaris, æquum est me lubenti animo, tui causa, universis, quæ mundus dare potest, renuntiare oblectamentis ac jucunditatibus. Ita Domine, renuntio universis, ac protestor velle me, tecum conjunctum, omnia potius perpeti mala, quam a te disjunctum, universis perfrui mundi bonis. Satis mihi oblectamenti est, tibi esse oblectamento ac placere tibi, qui dignus es quem omni studio oblectare coner. Da mihi, quæso, amorem tui tuamque gratiam, et hoc mihi satis est, nec aliud quidpiam mihi ultra posco. *Amorem tui solum* (tibi cum S. Ignatio semper dicam) *cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis.*

[1]) Cant. 1. 1.

Digitized by Google

VIII. *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi.*[1]) Amici, qui Dei vix amicitiæ facti sunt participes, quique idcirco incipientes vocantur, comedunt quidem, cum ad Eucharisticam Mensam accedunt, sacrosanctam Jesu Christi carnem, sed comedunt cum labore. Amici dein, qui in divina amicitia jam profecerunt, quique propterea proficientes appellantur, bibunt, sed cum minore labore, Domini sanguinem. Qui vero intimam cum Jesu Christo amicitiam junxerunt, quique ob hanc causam carissimi dicuntur, hi in tanta divini amoris ebrietate versantur, ut extra hunc mundum propemodum rapti, terrestriumque omnium ac suimet prorsus obliti, in nullam jam aliam curam intendant, nisi ut Deum solum ament, eique soli, in omni re, placeant.

Nondum equidem intimam hanc tecum, dilecte mi Jesu, amicitiam junxi; sed tu id efficere potes, ut eam tecum jungam. Nondum tibi sum, propria mea culpa, carissimus, quia ingrato in te hucusque fui atque infideli animo; sed tu potes me tibi

---

[1]) Cant. 5. 1.

reddere carissimum, efficiendo ut hodie mane, sancto tuo amore totus inebrier. *Adveniat regnum tuum.* Veni, o mi dilecte Domine; veni in omnimodam animæ meæ possessionem, tuumque regnum ita in me constabilito, ut tui solius amor in me imperium teneat, nec ego alia, nisi hujus tui amoris jussa, exsequar. Inebria me, inebria me totum, et fac ut rerum creatarum, mei ipsius, meorum commodorum, et omnium, quæ in hoc mundo sunt, memoriam amittam, nec aliud hinc in posterum amem nisi te solum, qui es Deus meus, thesaurus meus, omne meum bonum, mea omnia. Fac ad te solum suspirem, te solum quæram, te solum cogitem, tibi soli placeam. Per tuæ Passionis merita annue, quæso, huic meæ petitioni, cujus solius expletionem mihi adprecor, et a te spero.

IX. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*[1] Languet tunc anima cum, sui ipsius rerumque suarum immemor, nihil aliud jam appetit, nisi ut in illo, quod patitur, amoris deliquio, paulisper se refocillet, tum sanctis desideriis,

[1] Cant. 2. 5.

Digitized by Google

quæ sunt flores, quibus fulcitur, tum sanctis operibus, quæ sunt divinæ caritatis poma, quibus stipari cupit.

O sacramentum facte Deus, quandoquidem hoc tibi in votis est, ut ego sim totus tuus, fac me, precor, talem fieri, qualem me esse desideras. Fac, ut in illarum omnium rerum, quæ a tuo amore alienæ sunt, oblivionem veniam. Da meis tibi placendi desideriis nova quotidie incrementa, et præsta, ut hi flores non semper flores remaneant, sed etiam excrescant in fructus; qui fructus tunc comparebunt, cum ego aliquid fuero operatus ac passus causa tui, qui mei causa tot ac tanta operatus ac passus es. Fac, o Deus, Deus animæ meæ, ut, antequam moriar, non voce tantum, sed etiam opere te diligam.

X. *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.*[1]) Est dilectus noster Jesus ex sua puritate totus candidus, et totus rubicundus ex sui amoris flammis. O quando illud erit, immaculate meique amore flagrantissime Agnus, ut me tibi similem reddas, plane purum, sicut tu

[1]) Cant. 5. 10.

purus es, lilium candidissimum, totum tui amore flagrantem, sicut tu totus ardes amore mei! Mihi jam firmum est omnibus renuntiare amoribus; quandoquidem mecum constitui te solum, mi Deus et mea omnia, qui amabilitate totus diffluis, omnibus cordis mei affectibus diligere. Quapropter procul a me estote, res creatæ omnes. Quid me ultra quæritis? Eo recedite, ubi aliquem, qui vestri desiderio teneatur, reperire possitis. Ego enim solum Deum volo, cui cor meum totum cum omnibus meis affectibus donavi.

XI. *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.*[1]) Dicit S. Paulus, Deum per Incarnationis mysterium manifestasse hominibus, quanta sua in eos esset benignitas. Quam eximia vero ejus erga nos esset caritas, tum patefactum est, cum Dominus Jesus altaris sacramentum instituit, in quo ipse perpetuo nobiscum commoratur. *Nonne insania videtur,* inquit S. Augustinus, dicere: *manducate meam carnem, bibite meum sanguinem?* Jam vero hoc ipsum dixit Dominus beata

[1]) Tit. 3. 4.

Digitized by Google

illa nocte, quæ suum e mundo discessum præcessit: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum;* quasi diceret: Ut intelligatis, homines, quantus meus in vos sit amor, præcipio vobis, ut ad me accedatis meaque carne vescamini. O sanctam fidem! Ecquis rem hujusmodi umquam petere ausus fuisset? Quis eam vel excogitare potuisset, nisi Jesus Christus ipse eam excogitasset ac perfecisset? Fuerunt inter ejus discipulos qui, cum hoc ab eo audirent, velle scilicet eum corpus suum eis comedendum dare, sermonem hujusmodi nimis durum dicerent, ac plane incredibilem: *Durus est hic sermo; et quis potest eum audire?* [1]) Et credendi difficultas eos impulit ut ab eo recederent. Verumtamen rei veritas ab ipsa catholica fide nobis credenda proponitur.

Quid vero aliud a nobis petit Jesus Christus, qui tot ac tanta nostri causa operatus est, nisi ut eum amemus, sicut ipse olim a populo suo amari petiit, dicens: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te nisi ut . . . diligas eum, ac servias in toto corde tuo?* [2])

---

[1]) Jo. 6. 61. — [2]) Deut 10. 12.

Ast, quam magna sunt, quæ tu, amantissime Jesu, diligenti te largiris ac polliceris! Scilicet polliceris eum a te redamatum iri: *ego diligentes me diligo.*[1]) Polliceris, eum, tametsi tibi tergum olim verterit, tuis perfruiturum esse amplexibus: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.*[2]) Polliceris te cum Patre et Spiritu Sancto in ejus venturum esse animam, ibique te mansurum esse in æternum: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo . . . et ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus.*[3])

Ecquid jam ultra tibi pollicendum ac largiendum remanet, ut homines ad tui amorem allectes? Me sane non fugit te, amabilissime Domine, velle a me quoque amari. Næ, ex toto corde meo amo te. Verumtamen si amare te nescio, edoce me quid mihi ad amandum te faciendum sit. Tu fac ut amem te, et amem te multum. *Da quod jubes, et jube quod vis.*

XII. *Nolite considerare quod fusca sim; quia decoloravit me sol.*[4]) Æstus cupiditatum mearum, ajebat Sacra Sponsa (et

[1]) Prov. 8. 17. — [2]) Zach. 1. 3. — [3]) Jo. 14. 21.
[4]) Cant. 1. 5.

ego, Jesu mi, idipsum verius dicere possum) deformem me reddidit ac nigram: *Nigra sum sed formosa.*[1]) Ex meis equidem operibus nigresco, sed ex tuis, mi Redemptor, meritis facta sum venusta. Eram olim nigra, cum sola essem et a te disjuncta; nunc vero, quia tecum sum conjuncta, gratia tua, pulchritudo tua, amor tuus id effecerunt, ut venustate nitescerem. Id ipsum, o mi Jesu, mihi jam contigisse spero. Sit tibi pro tanto beneficio laus ac benedictio! Ne vero sinas me iterum tui jacturam facere, et pristina fœdari nigritudine. Amo te, o infinita pulchritudo, et volo animam meam pulchram, et jugiter pulchram, ut ita divinos oculos tuos semper oblectem, et jugiter tuum mihi amorem conciliem.

XIII. *Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.*[2]) Quoniam, quamdiu in hac terra vivo, ad te, dilecte mi Jesu, ascendere nequeo, tu voluisti ad me descendere, et temet, in hoc amoris Sacramento, mihi admiscere. Trahe me igitur totum ad te. Nolo ego te ad me trahere

---

[1]) Cant. 1. 4. — [2]) Cant. 1. 3.

Digitized by Google

ita ut tu mea desideria expleas; sed volo blandis tuis illecebris trahi ad te, ita ut nihil aliud, nisi quod tu vis, ego velim, et sanctissimam tuam voluntatem, eamque solam, jugiter adimpleam. Æquum est, omnia mea studia sanctis tuis dispositionibus locum cedere. Agedum, conjunge me totum tecum, et fac ut sic tecum conjunctus, ab omnique in res terrenas amore abstractus curram, te duce, in via sanctarum virtutum, atque eo perveniam, ubi, tum in hac, tum in altera vita, in divina tua voluntate, placide conquiescam. *In pace in idipsum dormiam et requiescam.*

XIV. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem.*[1]) Est, teste S. Bonaventura, vinaria hæc cella sacra communio, quæ animam, in quam introducitur, cum cœlesti Rege conjungit, eamque illo amoris vino inebriat, quod omnem rerum creatarum sitim ex ea depellit, et ordinatissimam simul ei infundit caritatem, caritatem nempe erga se pudicam, benignam erga proximos, summam erga Deum, ita quidem ut amoris

---

[1]) Cant. 2. 4.

Digitized by Google

primæ deferantur Deo, qui præ omnibus amore dignus est.

Tu, mi Rex Jesu, et unicus cordis mei Dominus, jam me introduxisti in beatam istam tui amoris cellam, id est intra temetipsum, conjungendo me, in hoc amoris Sacramento, arcte tecum. Equidem cor mihi jam immutatum sentio: scilicet inesse mihi sentio sanctum desiderium, quod pace me perfundit, quod mihi impurorum affectuum movet fastidium, quodque me incitat ut te, Deum meum, puro amore diligam. Tu vero, Jesu mi, qui me in desiderabilem istam cellam ingredi fecisti, ne me precor, inde unquam egredi sinas. Tu mecum te conjunxisti: noli igitur a me unquam recedere. Exstingue in me omnem erga res creatas amorem, et teneto me, quamdiu in hac terra vixero, arcte tecum conjunctum, ut ita perfectissime tecum conjungi merear in cœlo, ubi te coram videbo, ac totis te viribus amabo, sine intermissione, sine defectu, per omnia æternitatis sæcula.

XV. *Dilectus meus descendit in hortum suum, . . . ut pascatur in hortis, et lilia col-*

Digitized by Google

*ligat.*[1]) Dulcissime Salvator, quoniam e cœlo in animam meam descendere dignaris, fac, precor, ut hæc anima mea evadat, beneficio gratiæ tuæ, hortus tuus, ubi lilia et suaves fructus tibi colligere valeas. Ignosce mihi, quod olim a te recessi; nunc pœnitentia ductus, ad te revertor. Largire mihi illam, qua me nitere desideras, mentis puritatem; largire mihi vigorem, quo confortatus, id omne, quod a me fieri optas, faciam; largire mihi verum amorem tui, quo ductus, omnia, quæ tibi sunt placita, perficiam. Universas ego voluntatis meæ inclinationes in sacrificium tibi offero, nec aliud mihi in votis est, nisi ut tibi soli placeam.

XVI. Sacra Sponsa appellat dilectum suum *totum desiderabilem*. Et re quidem vera, Jesus est totus desiderabilis illis animabus, quæ eum tanquam sponsæ diligunt, sive eas verberat, sive eas consolatur, sive se eis præsentem exhibet, sive absentem, propterea quod omne, quod ipse facit, ex suo in nos amore procedit, atque eo tendit, ut nos inducat in amorem sui.

---

[1]) Cant. 6. 1.

Digitized by Google

Quod cum ita sit, tracta me, Jesu mi, quibus tibi placuerit, modis. Ego te amabo semper, sive me suavitatibus perfusurus es, sive pressurus ærumnis; scio enim scaturire omnia, quæ mihi eveniunt, ex amanti tuo corde, quod omnia eventa ita dirigit, ut in majus meum bonum cedant. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Ecce voluntatem meam, Domine. En eam paratam ad annuendum iis omnibus, quæ tu de me meisque rebus decrevisti. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Stat mihi, in omni sive fausto sive infausto tempore, tibi, meo Creatori, benedicere, teque semper diligere. Non peto a te solatia, nec ea merear, quandoquidem peccata mea tot tibi acerbitates intulerunt: id unum peto, ut omne tuum desiderium in me expleatur. Nullum ego laborem recuso, dummodo tu in me tibi complaceas. O mi Jesu, sive mihi præsens futurus es, sive absens, tu mihi eris semper desiderabilis, semper carus; et sive gaudio me cumulaturus es sive affecturus mœrore, volo te semper amare, et semper tibi gratias agere.



Digitized by Google

XVII. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* [1])

Quæ sunt, putas, istæ animæ, quæ mundum, quem inhabitant, tanquam desertum habent, ita quidem ut a rerum visibilium amore abstractæ, uni Deo vivant; quasi solæ essent cum Deo solo, quem unice diligunt, et cui unice placere student, quæqué idcirco extra mundi terminos propemodum egressæ, super terrena elevantur, ac illis perfunduntur deliciis, quibus affluit quicunque Deum solum sibi quærit, in eoque solo omnes spes suas reponit? Quæ sunt fortunatæ istæ animæ, nisi illæ, quæ frequenter Jesum Christum in Ss. Sacramento suscipiunt et arcte cum eo, quem puro amore diligunt, conjunguntur? His animabus cupio et ego, mi Deus, adnumerari, ita ut, beneficio gratiæ tuæ, ab omni rerum creatarum studio abstractus, sim totus tuus. Erit mihi mundus, hinc in posterum tanquam desertum, ubi a cujuslibet rei creatæ amore refugiens, cogitationes meas ita in te defixas teneam, quasi solus cum te solo in terra versarer.

---

[1]) Cant. 8. 5.

Digitized by Google

In te, mi Deus, in te solo, care mihi Deus, volo collocare omnem amorem meum; in te, inquam, qui es spes mea, amor meus, mea omnia.

XVIII. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.*[1] Hoc ad amussim facit Jesus per sacram synaxim, in illa, quam ingreditur, anima. Videt eam murum esse nimis caducum, quam ut Tartareorum hostium impugnationibus resistere valeat, et ideo per hujus Sacramenti virtutem communit eam argenteis propugnaculis, immittendo in eam divinæ lucis suæ splendorem. Videt eam ostium esse putredini obnoxium, et ideo reficit eam tabulis cedrinis, largiendo ei donum fortitudinis ac perseverantiæ, quarum symbolum est cedrus, lignum durissimum, quod nulli obnoxium est corruptioni. Fit autem hæc largitio, cum anima sancto timore repletur, cum a rerum creatarum studio avocatur, cum orationis et precationis amore incenditur, cum sanctis desideriis inflammatur, et maxime cum divini amoris dono

[1]) Cant. 8. 9.



Digitized by Google

ditatur; quibus omnibus subsidiis ejus perseverantia in tuto collocatur.

*Panis cor hominis confirmat.* Sicut vita corporis pane terrestri conservatur, ita vita animæ conservatur cœlesti illo pane, qui nobis in sacra communione porrigitur. Ipse Jesus hoc nobis affirmat, dicens: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* O mi Jesu, ecquis magis me est infirmus atque infidelis? Te neutiquam latet, quam sæpe ab hostibus meis devictus fuerim, et quam sæpe eis aperuerim voluntatis meæ ostium, per quod ingressi, ruina me oppresserunt, tua me spoliantes amicitia. Corroboret me nunc, precor, splendor lucis tuæ, tuæque virtutis in me infusio, ita ut non amplius jacturam tui faciam nec te amplius a me repellam. Quod si futurum esse prævides, ut ego rursus in te peccem, fac me nunc, quæso, mori, cum in gratia tecum et tibi conjunctum me esse spero. Non audeo sine te diutius vivere; neque ullo pacto vitam, sine te, dilecte mi Jesu, mihi productam volo. Quoniam vero, quamdiu vi-

Digitized by Google

vam, mutabili semper ero animo, atque idcirco semper in periculo prævaricandi versabor, precor te, ut semper mihi in adjutorium venias. Sed et tu, o Maria, veni mihi adjutrix, et miserere mei. Tu es mater perseverantiæ; obtine mihi a filio tuo Jesu munus perseverantiæ. Illud a te mihi peto; a te illud spero, a te illud volo.

XIX. *Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.*[1] Ita loqui debet quicunque amicitiam cum Jesu in Ss. Sacramento junxit: estote procul a me, res creatæ; exite, quæcunque estis, ex cordis mei domicilio. Ego vestri olim amore tenebar, quia eram cæcus; in præsenti vero non amplius vos amo, nec amare possum. Inveni enim illud bonum, cujus amabilitas vestram in infinitum supergreditur; inveni intra me ipsum Jesum meum, qui pulchritudine sua me totum in sui amorem rapuit. Ipse est dilectus meus, cui me totum donavi; et quoniam me in suum accepit, non sum amplius meus. Vos igitur valete, res creatæ; nec sum, nec ero amplius vestri; sum, eroque semper Jesu

[1]) Cant. 3. 4.

Digitized by Google

mei. Sed et ipse est jam meus, eritque semper meus. *Tenui eum, nec dimittam.* Quem in sacra synaxi suscepi, nunc ad cor meum stringo, et in posterum brachiis amoris mei semper eum ad me strictum tenebo, nec patiar eum unquam a me discedere.

Sine, amabilissime Salvator, me in tam arctum tecum venire amplexum, ut non possim amplius a te avelli. Ecce ad te me stringo, o mi Jesu; amo te, amo te, et quanto tu dignus es amore, tanto te amare cupio. In te amando sit, volo, omnis animi mei expletio, et in tibi complacendo sit tota mentis meæ requies. Impera tu rebus creatis, ut a me discedant, nec ullam menti meæ inferant perturbationem. *Adjuro vos . . . ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam.* Hæ vero non possunt, nisi annuente me, in animam meam ingredi, eam perturbare, meque a te disjungere. Tu igitur corrobora voluntatem meam; conjunge tam arcte pauperculum cor meum tecum, ut id omne, quod tu vis, ipsum pariter velit. Fac hoc, per tua, quæso, Domine, merita. Amen, amen! ita spero, sic fiat!

Digitized by Google

XX. *Surge, aquilo, et veni, auster; perfla hortum meum, et fluant aromata illius.*[1] Fuge procul a me, Aquilo, nociva ac glacialis terrestrium affectuum aura, et veni, Auster, flamen suave, Spiritus Sancti amore ardens, quod ex Eucharistiæ Sacramento, ex ipso corde Jesu halaris. Tu solum spira in anima mea, quam Jesus sibi jam in suarum deliciarum hortulum elegit. Perfla istum hortulum, et illico nova ac suavissima virtutum aromata ex eo spirabunt. Tu, Jesu mi, potes hoc facere; a te hoc ego spero.

XXI. *Messui myrrham cum aromatibus.*[2] Debet anima, quæ Jesum in se suscepit, colligere myrrham, id est illas colere virtutes, quæ ex mortificatione enascuntur, ut ita bonum harum virtutum odorem semper diffundere valeat. *Comedi favum cum melle meo.*[3] Nec satis habet anima, quæ Deum solum amat, comedisse mel; vult etiam comedere favum. Quare Jesum sic alloquitur: Non explent mea desideria consolationes tuæ, nisi teipsum possedero, qui es omnium fons consolatio-

[1]) Cant. 4. 16. — [2]) Cant. 5. 1. — [3]) Cant. loc. cit.

Digitized by Google

num; nec amoris fructibus exsatior, nisi te ipsum habuero, qui es amor meus, illudque ipsum, quod ego amo. Imo, hoc tibi, mi Jesu, dico: tu solus mihi satis es; et dummodo te, qui es omne bonum meum, potiar, paratus sum cunctis, quæ ex te effluunt, renuntiare suavitatibus. Amo te; neutiquam ob meum delectamentum, sed ad complacendum tibi, qui meum tibi exposcis amorem, quique dignissimus es, quem omnes homines ament, sive suavitatibus eos perfundis, sive ærumnis eos excrucias.

XXII. *In loco pascuæ ibi me collocavit: nihil mihi deerit.*[1]) Quoniam tu, amantissime Jesu, ad hanc amoris mensam me invitas, ubi ipsa tua divina carne vescar, quid mihi jam deesse poterit? *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?*[2]) Quis mihi esse potest timor, si tu, Deus omnipotens, mea lux es, meaque salus? Ego totum me tibi dedo. Accipe me, et fac de me quod volueris. Castiga me, irascere mihi quantum tibi placuerit, interfice me, destrue me: volo ego semper hæc Beati Job iterare verba: *Etiam si occide-*

[1]) Ps. 22. 2. — [2]) Ps. 26. 1.

*ris me, in te sperabo.*[1] Ecce me! dummodo tuus sim, dummodo te amem, non displicet mihi vel aspere a te tractari, imo in nihilum redigi, si hoc tibi complacitum est.

XXIII. *In manibus meis descripsi te; et muri tui coram oculis meis semper.*[2] En amantem curam, quam Deus gerit de omni anima, quam suam esse desiderat: tenet eam in suis descriptam manibus, ne ejus unquam memoriam deponat, dicens posse matrem facilius propriæ prolis oblivisci quam ipsum alicujus animæ, quæ secum sit in gratia: *Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*[3]

*Et muri tui coram oculis meis semper.* Ipse intentis oculis hujus animæ tutelæ semper advigilat, præpediens quominus hostes ei aliquid damni inferant: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*[4] Scilicet munit nos bonus noster Deus propugnaculo voluntatis suæ, quæ tota benigna est nostrique boni studiosissima, quæque idcirco cuncta a nobis pericula depellit. O infinita bonitas, o mi Deus, quo nemo est mei aman-

---

[1]) Job. 13. 15. — [2]) Is. 49. 16. — [3]) Ibid. 49. 15. — [4]) Ps. 5. 13.

Digitized by Google

tior nec meæ beatitudinis cupidior, ego totum me tibi committo; orber omni spe, sed nunquam sim te orbus. Me quidem non latet, meam quoque operam requiri, ut, quæ tibi sunt placita, perficiam. *Domine, quid me vis facere?* Hoc solum tibi dicere possum: eccè me ad omnem nutum tuum paratum. Stat mihi, dilectissime Domine, quidquid volueris, fideliter exsequi. *Fiat voluntas tua.* Nihil aliud mihi in votis est, nisi ut voluntatem tuam faciam. Tu vero adjuva me. Nisi enim me adjuveris, nihil possum. Fac precor, ut non solum, quæ tibi sunt placita, cognoscam, sed etiam ut, quæ cognovero, factis compleam. *Doce me facere voluntatem tuam.* Concede, æterne Pater, ut quæ Jesus, filius tuus, olim, dum in humanis ageret, effatus est, ego quoque vere dicere possim: *quæ placita sunt ei, facio semper.* Hoc solum mihi in votis est; hoc solum quæro; hocque per merita filii tui, et Beatæ Virginis Mariæ intercessionem, me obtenturum esse spero.

XXIV. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.*[1])

---

[1]) Prov. 28. 18.

Digitized by Google

En, anima mea, id quod Dominus tuus velit a te, nunc cum te invisurus est: vult sibi cor tuum, vult sibi voluntatem tuam. Totum tibi se ipse donat; æquum est igitur te quoque totum ei donari, nec aliud deinceps a te curari, nisi ut in omni re ejus voluntatem exsequaris. *Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis.*[1]) Cura et provide ut, quando ad te Dominus reversurus est, sibi gaudere possit de diligentia, quacum omnibus ejus mandatis obtemperasti. O mi Jesu, volo tibi complacere; confirma me in hoc proposito; adjuva me, et fac de me quidquid tibi placuerit.

XXV. *Quid debui facere vineæ meæ, et non feci?* [2]) Audisne, anima mea, quid Dominus tuus tibi dicat? Num penes me fuit majora, tui causa, facere quam illa quæ feci? Amore tui ductus, assumpsi humanam naturam: *Verbum caro factum est.* Ex Domino feci me servum: *Formam servi accipiens.* Eo usque deveni, ut in stabulo tanquam vermis nascerer; vermes enim nascuntur in stabulis: *Vermis sum,*

---

[1]) Deut. 30. 9. — [2]) Is. 5. 4.

Digitized by Google

*et non homo.* Et adhuc ulterius progressus, subivi pro te, in infami patibulo, mortis supplicium: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ecquid aliud jam supererat, quod tui causa facerem? *Majórem hac dilectionem nemo habet, ut animam ponat quis pro amicis suis.* Verumtamen meus in te amor aliquid ultra excogitavit, tuique causa perfecit. Volui, post meam mortem, remanere in Ss. Sacramento, ut me tibi in cibum darem. Jam dic, sodes, an aliquid ultra facere debuissem, ut tuum mihi amorem captarem?

Vera tu dicis, Domine, nec habeo quod respondeam. Nimia tua in me fuit bonitas, et nimis ingratus fuit meus in te animus; nec possum, ubi immensam hanc tuam bonitatem, et ex altera parte ingratum meum animum considero, quin ad tuos pedes me prosternam, in hancque vocem prorumpam: Miserere mei, Jesu mi, cujus amori tam ingratum animum objeci. Vindica te a me; vindica te; animadverte in me, et muta me. Ne sinas, me diutius hoc ingrati animi vitio laborare; fac, ut tuorum memor sim beneficiorum,

Digitized by Google

ut te diligam, tuumque in me amorem, meo amore, antequam moriar, compensem.

XXVI. *Pone me ut signaculum super cor tuum.*[1]) Quandoquidem ego tibi, dilectissime Jesu, cor meum totum dicavi, æquum est profecto, te tanquam sigillum in eo imprimi, ut ita omnis alius affectus inde exclusus remaneat, neminique non innotescat, tibi esse cor meum, et te solum illius perpetuum habere dominium. Quid vero, Domine, a me speras, nisi tu ipse, quod a me fieri desideras, clementer perficias? Nihil aliud equidem facere possum, quam donare tibi misellum cor meum, ut tu illud ad nutum tuum fingas et accommodes. En igitur cor meum: illud integrum tibi dedo, consecro ac sacrifico. Tu in perpetuum illud possideto, illius nullam amplius partem mihi reservatam volo. Si tibi carum est, fac ut in perpetua tua possessione remaneat; nec manibus meis illud unquam commissum relinque; accideret enim, ut illud tibi iterum surriperem. O omni amore dignissime Deus, o infinite Amor, precor te,

[1]) Cant. 8. 6.

quandoquidem me tantopere ad amandum te adstrinxisti, ut amorem mihi infundas tui; fac te amem. Nolo ad aliud in mortali hac esse vita, quam ut amem te tibique complaceam. Tu qui tot in hoc Sacramento patras miracula, quibus ingressum in cor meum tibi consequaris, patra, quaeso, et hoc alterum miraculum, quod me reddat totum tuum, sed totum, absque ulla divisione ac retentione; ita ut, et in hac, et in altera vita vere dicere possim, esse te unicum cordis mei Dominum et omnes meas divitias: *Deus cordis mei, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Maria sanctissima, mater et spes mea, esto mihi adjutrix, et preces meæ haud dubie exaudientur. Amen, amen. Ita volo, ita spero, sic fiat.

### 6. Oratio dicenda a sacerdotibus, antequam in tribunali pœnitentiæ assidunt ad audiendas confessiones.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni

cœlorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit, nulli claudam, cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quæso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam; in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer, alios salvem, meipsum non perdam.

℟. Amen.

Indulg. *100 dierum semel quolibet die.* Pius PP. IX. 27. Mart. 1854.



Digitized by Google



# SALUTATIONES SANCTISSIMI SACRAMENTI
## ET
## BEATISSIMÆ VIRG. MARIÆ.

**Oratio singulis præmittenda Salutationibus.**

Domine Jesu Christe, qui, amore hominum ductus, in hoc Sacramento diu noctuque immoraris, pietate et amore plenissimus; qui exspectas, advocas, excipisque eos omnes qui ad te, salutandi gratia, veniunt: te ego in Altaris Sacramento præsentem credo, adoro te ex abysso nihili mei, et ago tibi gratias pro omnibus quidem in me collatis beneficiis, sed præsertim pro eo quod mihi in hoc Sacramento te ipse donasti, quod sanctissimam

Digitized by Google

Matrem tuam Mariam mihi dedisti in advocatam, et quod me vocasti, qui te hac in æde salutarem.

Saluto igitur hodie amantissimum Cor tuum, animoque intendo, illud salutare his tribus de causis: primum, ut tibi pro tanto dono grates persolvam; deinde, ut de injuriis, quas hoc in Sacramento tui inimici tibi inferunt, satisfaciam; postremo, ut hac salutatione te adorem omnibus terrarum locis, ubi in Sacramento præsens minus coleris magisque desereris.

Pœnitet me toties olim displicuisse infinitæ bonitati tuæ. Statuo, te adjuvante, non amplius offendere animum tuum; et in præsentia, quantumvis miser, totum me tibi consecro, tibi me totum dono, omnique meæ voluntati, affectibus, desideriis et rebus meis omnibus renuntio. Ex hocce die tu deinceps de me meisque universis, quod tibi gratum, facito. Ego nihil rogo, nihil opto, nisi sanctum amorem tuum, perseverantiam in bono usque ad finem, et tuæ voluntatis exsequutionem perfectam.

Commendo tibi detentas in purgatorio animas, præprimis quæ se SS. Sacramento



Digitized by Google

et sanctissimæ Mariæ devotissimas exhibebant. Omnes item miseros peccatores tibi commendo. Conjungo denique, mi Salvator, omnes meos affectus cum affectibus amantissimi Cordis tui, eosque sic conjunctos tuo æterno Patri offero, tuo illum nomine rogans, ut eos tui amore accipiat et exaudiat.

Indulgentia 300 dierum, quoties recitatur coram Sanctissimo; plenaria semel in mense, si quotidie recitatur. Pius PP. IX. 7 Sept. 1854.)

## Communio spiritualis
### post salutationem facienda.

Credo, Jesu mi, te esse in Ss. Sacramento præsentem. Amo te super omnia et cupio te intra animam meam recipere. Quoniam vero sacramentaliter te nunc recipere nequeo, veni saltem spiritualiter in cor meum. Tamquam introgressum te jam amplector, et tibi me totum conjungo: ne sinas me unquam separari a te.

*Vel brevius:* Credo te, o Jesu, in SS. Sacramento præsentem, amo te teque desidero. Veni in cor meum. Anima mea te amplectitur; noli amplius a me discedere.

Absorbeat, quæso, Domine Jesu Christe, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. [1])

**Oratio ad B. Virginem**
in fine salutationis dicenda.

Sanctissima Virgo sine labe, et Mater mea Maria, ad te, Matrem Domini mei, mundi Reginam, advocatam, spem et Refugium peccatorum, ego hodie recurro, qui sum maxime miserabilis omnium. Te, magna Regina, veneror; tibi gratias ago pro omnibus quidem mihi hucusque præstitis beneficiis; sed præsertim pro eo quod me inferno, quem toties merui, liberasti: Amo te, amabilissima Domina, et, ex amore quo erga te affectus sum, polliceor me tibi semper serviturum, et, quantum in me erit, facturum, ut etiam ab aliis adamere. In te ego spem meam omnem et omnem salutem meam repono. Accipe me in servum tuum, meque, o misericordiæ Mater, sub tegmen recipe tutelæ tuæ. Et

[1]) S. Franc. Assis.

quoniam tantum apud Deum potes, cunctis me tentationibus libera, aut vires certe, quibus ad mortem usque vincam, mihi impetra. A te peto verum Jesu Christi amorem. Per te felicem ex hac vita exitum spero. Per amorem illum, o Mater mea, quo Deum amas, te obsecro ut, omni quidem tempore, sed præsertim in extremo mortis articulo, me adjuves. Ne deseras me, dum salvum in cœlis videris ad benedicendum tibi, tuasque misericordias per omnem æternitatem cantandas. Amen. Sic spero, sic fiat.

(Indulg. 300 dierum, quoties recitatur hæc oratio coram Imagine B. V. Mariæ plenaria, die arbitrario cujusvis mensis, si quotidie recitatur. Pius PP. IX. 7 Sept. 1854.)

## Salutatio I.

(Jesus, fons omnium bonorum.)

En fontem omnis boni, Jesum in sacramento nobis dicentem: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*[1]) O quot gratiarum aquas nullo non tempore hauserunt Sancti ex hoc fonte sanctissimi Sacramenti, ubi Jesus omnia Passionis suæ merita nobis

[1]) Jo. 7. 37.

dispensat, prout futurum prædixit Isaias: *Haurietis*, inquiens, *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*[1]) Magna illa Venerabilis Patris Avilæ discipula, comitissa de Feria, quum, suscepta religione sanctæ Claræ, ob crebras ac longas coram sanctissimo Sacramento moras, sponsa esset appellata Sacramenti; quærentibus aliquando, quid tam multis horis, quas coram Sacramento consumebat, ageret, in hunc modum respondit: „Luberet per omnem æternitatem adesse! Nonne ibi præsto est essentia Dei, qui Beatorum esca futurus est? Ecquid agitur coram illo? Deus bone! Ecquid non agitur? Amatur, laudatur, grates referuntur, petuntur dona. Ecquid pauper apud divitem? apud medicum quid ægrotus? quid ad limpidum fontem sitiens? quid famelicus ad laute paratam mensam?"

Amabilissime, dulcissime, dilectissime Jesu, vita, spes, thesaure, unice amor animæ meæ, quanto tibi, ut nobiscum hoc in Sacramento remaneres, impendio stetit! Moriendum tibi erat, ut deinde, Sacramentum factus, in nostris altaribus remanere

---

[1]) Is. 12. 3.

Digitized by Google

posses! Et quantæ tibi ferendæ erant injuriæ in hoc Sacramento, ut tua nobis adesses præsentia! Omnia vicit amor tuus ac desiderium amoris erga te nostri.

Veni ergo, Domine, veni teque meo in corde colloca, et januam obsera in perpetuum, ne qua deinceps creatura introëat, amorem illum, quem tibi debeo ac totum dare volo, tecum partitura; tu solus, mi dilecte Redemptor, dominare mihi, tu solus me totum posside! Quod si quandoque minus perfecte fuero obsequutus, severe me castiga, ut, quemadmodum velis, in posterum placere tibi noverim. Fac nihil desiderem amplius, nec aliud oblectamentum quæram, quam tibi oblectamento esse, te sæpe invisere in altaribus habitantem, tecum conversari, te in sancta Synaxi recipere. Alia bona, qui volet, quærat; ego nihil amo, nihil desidero, nisi tui amoris thesaurum. Illum ego unum ad imos altaris gradus flagitabo: fac mei obliviscar, ut tuæ tantum bonitatis meminerim. Non gloriam vestram, o beata Seraphim, vobis invideo, sed amorem in Deum vestrum ac Deum meum; docete me quid mihi ad amandum illum et oblectandum, factu opus sit.

Digitized by Google

*Oratio jaculatoria*: Mi Jesu, te solum amare, tibi soli placere volo.

*Communio spiritualis, ut supra, pag. 258.*

Ad B. V. Mariam.

Alius nobis eximie felix fons Maria mater nostra est, tam dives bonis et gratiis ut, quemadmodum S. Bernardus ait, in toto orbe sit nemo, quin partem aliquam inde accipiat: *De plenitudine ejus accepimus omnes.* Fuit sanctissima Maria repleta a Deo gratia, qualem Angelus salutavit: *Ave gratia plena.* Nec sibi solum, ait S. Petrus Chrysologus, sed nobis quoque tantam gratiæ copiam accepit, ut suos nimirum cultores illius redderet participes: *Hanc gratiam accepit Virgo, salutem sæculis redditura.*

*Oratio jaculatoria:* Causa nostræ lætitiæ, ora pro nobis.

*Sequitur Oratio, ut supra, pag. 259.*

**Salutatio II.**

**(Jesus, noster cibus et socius.)**

Dicit devotus Pater Nierembergius, propterea quod panis sit cibus, qui manducatus consumatur et sepositus asservetur, voluisse Jesum in terris remanere sub

specie panis, ut non solum consumeretur, dum in sacro convivio animis sibi amicis sese admisceret; sed etiam ut asservaretur in tabernaculo, nosque ipsa sua præsentia sui erga nos amoris admoneret. *Exinanivit semetipsum*, inquit S. Paulus, *formam servi accipiens.*[1]) Sed quid porro dicamus, videntes eum formam panis accipientem? „Nulla sufficit lingua," ait D. Petrus Alcantarensis, „ad edisserendam magnitudinem amoris Jesu erga omnes, quæ apud ipsum in gratia sunt, animas; atque eam ob causam, cum vellet dulcissimus ille Sponsus de hac vita decedere, ne hæc ejus absentia causam præberet oblivionis sui, in memoriam reliquit illis hoc sanctissimum, in quo ipse remansit, Sacramentum: nolens, se inter et illas, aliud memoriæ pignus superesse, quam semetipsum."

Cum igitur non alia de causa, mi Jesu, in hac custodia inclusus remaneas, quam ut miserabilium supplices preces audias, qui ad te, petituri audientiam conveniunt; audi hodie supplicationem peccatoris, inter omnes homines ingratissimi.

---

[1]) Phil. 2. 7.

Venio pœnitentia ductus ad pedes tuos, agnoscens malum, quod tibi displicendo feci. Primum igitur rogo ut omnia, quibus te offendi, peccata mihi remittas. Mi Deus, o utinam tibi numquam displicuissem! — Quid præterea mihi in votis sit, non ignoras. Cognovi summam amabilitatem tuam, et tui me amore inflammavi, magnumque mihi inesse sentio desiderium amandi te tibique complacendi; sed non habeo vires quibus id faciam, nisi tu me adjuves. Notam fac, magne Domine, omnibus cælicolis magnam potentiam et immensam bonitatem tuam; fac ex pravo rebelli, qui in te fui, magnus tui amator evadam: hoc potes facere, hoc vis facere. Suppleto hæc omnia, quæ in me desunt, ut perveniam ad amandum te multum, tantum certe, quantum offendi te. Amo te, mi Jesu, amo te super omnia; magis vita mea te amo, mi Deus, mi amor, mea omnia.

*Oratio jac.:* Deus meus et omnia.

*Communio spirit.*

Ad B. V. Mariam.

*Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam in-*

Digitized by Google

*veniamus in auxilio opportuno.* [1]) Hunc thronum perhibet S. Antoninus esse Mariam, unde omnes gratias distribuat Deus. O Regina amabilissima, si tantopere peccatores adjuvare desideras, en coram te magnum, qui ad te confugit, peccatorem; multum me adjuva, adjuva me cito.

*Oratio jac.:* Unicum refugium peccatorum, miserere mei! [2])

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio III.

(Jesus, in nostra sibi complacens conversatione.)

*Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* [3]) Ecce Jesum nostrum, qui non satis habuit in terris mortem oppetivisse amore nostri, sed etiam post mortem nobiscum manere voluit in SS. Sacramento, declarans inter homines suas se delicias invenire. *O homines,* exclamabat S. Teresia, *qui fieri potest, ut hunc Deum offendatis, qui suas inter vos delicias se invenire profitetur?* Inter nos suas Jesus delicias invenit: nos apud eum nostras non inveniemus? Nos præsertim, quibus contigit honor, in ipsiusmet habi-

---

[1]) Hebr. 4 16. — [2]) S. Aug. — [3]) Prov. 8. 31.

Digitized by Google

tandi palatio! Quanto honore se affectos reputant illi subditi, quibus rex suo in palatio locum concedit? En palatium regis, domus ista, quam una cum Jesu Christo inhabitamus. Sciamus ei grates persolvere, ejusque convictum suo pretio æstimare. — En me igitur, mi Domine, mi Deus, ante aram hanc, in qua tu mihi diu noctuque mansitas. Tu omnis boni fons es, tu omnis mali medicus, tu omnis egeni thesaurus; en hodie jacentem ad pedes tuos peccatorem inter omnes miserrimum, infirmissimum, misericordiæ tuæ auxilium implorantem: subeat te commiseratio mei! Plane et omnino nolo, mea mihi miseria animum adimat, dum te in hoc Sacramento video de cœlo in terras delapsum hac mente, ut mihi benefacias. Te laudo, te amo, tibi gratias ago; et si vis me aliquam a te eleemosynam petere, hanc peto; audi me: nolo te amplius offendere; volo ut lucem mihi et opem indulgeas, qua totis te viribus amem. Amo te, Domine, ex toto animo meo; amo te totis affectibus meis. Tu vero fac, vere illud dicam, et dicam tota vita præsenti et tota deinceps æternitate. Maria sanctissima, sancti Advocati mei, Angeli qui æter-

Digitized by Google

na beatitudine fruimini, adjuvate me omnes ad amandum omni amore dignissimum Deum meum.

*Oratio jac.:* Bone Pastor, panis vere, Jesu nostri miserere; tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre, in terra viventium.

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

*Vincula illius alligatura salutaris.* [1]) Devotionem erga Mariam prædestinationis catenam esse asserit pius Pelbartus. Oremus Dominam nostram, ut nos semper magis magisque catenis amoris ad fiduciam suæ protectionis adstringat.

*Oratio jac.:* O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio IV.

(Jesus, noster in terris Paradisus.)

*Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius.* [2]) Amicos mundanos sua ipsorum mutua præsentia usque adeo juvat, ut dies integros, inter se con-

---

[1]) Eccli. 6. 31. — [2]) Sap. 8. 16.

Digitized by Google

fabulando, deperdant. Apud Christum Jesum in Ss. Sacramento illi soli tædio afficiuntur, qui eum non amant. Sanctis quidem apud hoc Sacramentum inventus est paradisus. Diva Teresia, cum post obitum suum e cœlis aliquando ad aliquam sui Ordinis virginem rediisset, sic cum ea locuta est: „Nos cœlites, vosque terricolæ unum atque idem esse debemus in puritate et amore, nos gaudendo, vos patiendo; quodque nos in cœlis apud divinam Essentiam facimus, idem vos in terris apud SS. Sacramentum facere debetis.“ En igitur noster in terris paradisus, SS. Sacramentum!

O Agnus immaculate et immolate pro nobis in ara crucis, memento me unam esse ex illis animabus, quas tantis doloribus atque ipsa tua morte redemisti. Fac ut tu meus sis, et ego non amplius te amittam, quandoquidem mihi te ipse donasti et donas quotidie, immolando te in altaribus nostris, amore mei; et fac item, ut tuus ego sim totus. Ego me tibi totum dono, ut de me, quod velis, facias. Dono tibi voluntatem meam; tu dulcibus eam vinculis amoris tui constringe, ut

sanctissimæ voluntati tuæ mancipetur in æternum. Nolo amplius vivere ut mea desideria sequar, sed tantum, ut quæ tuæ bonitati accepta sunt opera, perficiam. Destrue in me id omne, quod tibi in me non probetur; opitulare mihi, ut aliud nihil cogitem quam quî tibi complaceam; aliud desiderem nihil quam quod tu ipse desideres. Amo te, dilecte mi Salvator, toto ex animo; amo te, quoniam a me amari desideras; amo te, quoniam amore summe dignus es. Doleo, me non amare quemadmodum tu amari promereris. Vellem mori amore tui. Accipe desiderium meum, Domine, et mágnum infunde mihi amorem tui. Amen. Sic esto.

*Oratio jac.:* O beneplacitum Dei mei, tibi me totum devoveo.

*Communio spirit.*

## Ad B. V. Mariam.

*Ego mater pulchræ dilectionis.*[1]) Ego sum, inquit Maria, mater pulchræ dilectionis i. e. illius dilectionis, quæ animas pulchras facit. Diva Maria Magdalene de

[1]) Eccli. 24. 24.

Pazzis vidit SS. Mariam dispensantem dulcem quemdam liquorem, qui erat amor divinus. Hoc donum a Maria sola distribuitur; a Maria proinde illud quæramus.

*Oratio jac.*: Mater mea, spes mea, fac totus sim Jesu tui!

*Sequitur Oratio solita.*

**Salutatio V.**

(Jesus, hominum amator.)

*Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum: rex meus et Deus meus.* [1]) — Passerculus, inquit David, in domibus; in nidis turtur habitaculum sibi invenit: tu vero, o Rex meus et Deus meus, fecisti tibi nidum et posuisti cubile tuum per orbem terrarum in altaribus, ut te nobis adorandum sisteres et nobiscum una permaneres. Dicendum est, Domine, te nimio hominum studio teneri. Jam non superest, quod amplius ad eorum tibi conciliandam gratiam facias. Fac igitur, amabilissime Domine Jesu, ut nos quoque tui studio teneamur: non enim fas est gelide a nobis

[1]) Ps. 83. 4-5.

amari Deum, qui tanto nos amat affectu. Trahe nos dulcibus amoris tui illiciis, et fac cognoscamus speciosas, quæ tibi insunt, dotes, quibus omnium tibi amorem promereris.

O majestas infinita et infinita bonitas, quam magnus est tuus erga homines amor, et quam magna sunt, quæ fecisti ut ab hominibus amarere! Quî fit igitur, ut inter homines adeo pauci te ament? — Nolo posthac, ut quondam fui, in hoc infelici ingratorum hominum esse numero; stat mihi amare te quantum potero, et amare præter te nihil. Hoc mereris, hoc mihi tam valide imperas: volo tuum explere desiderium. Fac, Deus animæ meæ, te perfecte contentum reddam: per merita passionis tuæ illud a te peto speroque. Bona terrestria cuicumque ea volenti tribuito; ego solum desidero et requiro magnum thesaurum amoris tui. Amo te, Jesu mi, amo te, bonitas infinita. Omnes divitiæ meæ tu es, tu es omnis expletio animi mei, tu amor meus unicus.

*Oratio jac.:* Mi Jesu, tu te mihi dedisti totum; ego me tibi totum dedo.

*Communio spirit.*

Digitized by Google

### Ad B. V. Mariam.

Te, Domina mea, *raptricem cordium* S. Bernardus vocat. Dicit, te corda rapere pulchritudine ac bonitate; rape igitur, obsecro, hoc cor meum et hanc meam voluntatem: tibi eam totam dono; quam tu, voluntati junctam tuæ, Deo offeras, precor.

*Oratio jac.:* Mater amabilis, ora pro me!

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio VI.

(Jesus, thesaurus allectans corda.)

*Ubi thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.*[1]) Dicit Jesus Christus, ubi quis thesaurum suum se habere arbitretur, ibi suos illum habere affectus. Ideo Sancti, nullum præter Jesum Christum æstimantes amantesque thesaurum, in SS. Sacramento cor et amorem suum omnem defixum tenent. Amabilissime Sacramentum facte Jesu, qui amore mei noctes ac dies in hac custodia immoraris inclusus, trahe ad te, obsecro, omne cor meum ita, ut non cogitet, non amet, non quærat, non speret nisi te. Præsta hoc mihi ob merita tuæ

[1]) Luc. 12. 34.



Digitized by Google

Passionis, per quæ te oro et hanc in spem venio.

O Sacramentum facte Salvator et amator divine, quam amabiles ac blandi sunt modi, quos tuus excogitavit amor, ut omnium mentium amorem tibi captares! O Verbum æternum, cum factum esses homo, non sat habuisti subire pro nobis mortem; voluisti insuper hoc instituere Sacramentum, ut te nobis in socium, in alimentum, in pignus cœlestis gloriæ dares. Ad hoc etiam te accommodas, ut inter nos, modo infantulus in stabulo, modo pauper in officina, modo ut reus e ligno pendens, modo panis in ara compareas. Quid jam, dicas velim, inveniendum superest, unde amari te facias? O infinita amabilitas, ecquando incipiam ego tantæ amoris sagacitati reapse respondere? Nolo, Domine, amplius vivere, nisi ut te solum amem. Ecquid vita mihi prodest, nisi illam eo impendam, ut amem te, ut placeam tibi, mi dilecte Redemptor, qui omnem vitam tuam mihi impendisti? Ecquid habeo quod amem, nisi te, totum formosum, totum blandum, totum bonum, amantem totum, totum amabilem? — Vivat anima

Digitized by Google

mea tantum ut amet te, liquefiat amore, ubi vel recordetur amoris tui; et ubi vel nominari audiat præsepium, crucem, Sacramentum, excandescat desiderio aliquid magnum patrandi pro te, mi Jesu, qui pro me nimis magna fecisti et passus es.

*Oratio jac.:* Fac, Domine, priusquam moriar, pro te aliquid faciam.

*Communio spirit.*

Ad B. V. Mariam.

*Quasi oliva speciosa in campis.*[1]) Ego, inquit Maria, oliva sum speciosa, unde effluit oleum misericordiæ. In campis sto, ut omnes me videant et ad me omnes accurrant: *Memorare* (dicamus idipsum cum S. Augustino) *piissima Virgo, a sæculo non esse auditum, quemquam ad tua præsidia confugientem, esse derelictum.*

*Oratio jac.:* Adjuva me, o Maria, ut ad te confugiam semper.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio VII.

(Jesus, noster perpetuus socius.)

*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*[2]) Noluit aman-

[1]) Eccli. 24. 19. — [2]) Matth. 28. 20.



Digitized by Google

tissimus ille Pastor, qui vitam suam pro nobis ovibus suis profudit, a nobis moriendo separari. Ecce me, inquit, semper vobiscum, amatæ oves: propter vos in terris sub hoc Sacramento remansi: hic, quotiescumque volueritis, me invenietis, qui vos juvem et mea soler præsentia; non ego vos relinquam usque ad finem hujusce mundi, sed manebo donec vos hanc terram incoletis. Volebat (ait S. Petrus Alcantarensis) Sponsus sponsæ aliquem in tam diuturna absentia socium relinquere, ne remaneret ipsa sola; et ideo Sacramentum hoc instituit, in quo immoratur ipse, sociorum omnium, quos ei relinquere potuisset, optimus.

Blandissime Domine, Salvator amabilissime, en adsum in hoc nunc altari te salutans; tu vero, cum per sanctam communionem in animam meam descendis, longe alio me amore resalutas. Tum non modo præsentem te mihi exhibes, sed et cibum te facis meum, totum te mihi admisces, totum mihi te donas, adeo ut vere mihi dicere liceat: mi Jesu, nunc totus meus es! Quoniam igitur te mihi totum donas, æquum est profecto, ut ego quoque

totum me tibi donem. Vermis sum ego, tu Deus es. O Deus amoris! o amor animæ meæ! Quandonam videbo me totum, non dictis, sed factis, tuum? Tu potes illud efficere; adauge per merita sanguinis tui meam in te fiduciam; quo fiduciæ incremento illud certissime consequar, ut non prius de vita decedam, quam me viderim totum tuum, nihilque amplius meum. Tu, Domine, preces omnium audis; audi ergo hodie precem animæ veraciter amare te volentis. Volo te totis viribus amare, volo tibi in quibuscumque velis obedire, cum propriorum commodorum neglectu, sine consolationibus, sine præmio. Ex amore servire tibi volo, tantum ut te oblectem, ut cordi tuo, tanto mei studio capto, complaceam. Amare te, meum erit præmium. O dilecte Patris æterni Fili, cape tibi libertatem meam, meam voluntatem, res meas omnes, me ipsum totum, et da te mihi. Amo te, quæro te, flagro desiderio tui, ad te suspiro, te volo, te volo, te volo.

*Oratio jac.:* Fac me, Jesu mi, totum tuum!

*Communio spirit.*

Digitized by Google

### Ad B. V. Mariam.

Amabilissima Domina nostra, ab universa Ecclesia appellaris et salutaris *Spes nostra.* Tu igitur, quæ spes es omnium, esto etiam spes mea. *Tota ratio spei meæ,* ajebat ad te S. Bernardus, qui et subjunxit: *in te speret qui desperat.* Sic et ego ad te loquar: o Maria, quæ salvas etiam desperatos, in te spem meam omnem repono.

*Oratio jac.:* Maria, mater Dei, precare Jesum pro me.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio VIII.

(Jesus, optans fidenter adiri.)

Ad omnem animam, quæ Jesum in SS. Sacramento invisit, iisdem ille verbis utitur, quibus ad sacram sponsam: *Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni.*[1]) Anima, quæ me invisis, *surge,* erigere de miseriis tuis; ego hic præsto sum, ut meis te divitem faciam gratiis. *Propera:* accede prope ad me, noli quidpiam a majestate mea timere, quæ hoc in Sacramento, ad tollendum tibi timorem fiduciamque sug-

---

[1]) Cant. 2. 10.

gerendam, depressa est. *Amica mea:* nullæ amplius intercedunt tibi mecum inimicitiæ, quandoquidem tu me diligis et ego te diligo. *Formosa mea:* gratia enim mea te pulchram fecit. *Et veni:* accede ad me; veni in amplexum meum, et pete a me quidquid velis cum fiducia magna.

Discebat S. Theresia, magnum istum Regem gloriæ ideo voluisse, sub specie panis in Sacramento se abdere suamque velare majestatem, ut animum nobis ad fidentius cordi suo divino appropinquandum erigeret.

Accedamus ergo ad Jesum magna cum fiducia et affectu; conquiescamus in ejus amplexu et gratias ab eo petamus.

Quale meum esse debet gaudium, o Verbum æternum, homo Sacramentumque pro me factum, cum sciam me tibi coram adstare, qui Deus meus es, qui Majestas es infinita infinitaque Bonitas, et qui summo me amore prosequeris? O Dei amantes animæ, sive in cœlis sive in terris versamini, pro me quoque illum amatote! Maria, mater mea, ad amandum illum me adjuva. Et tu, amabilissime Domine, fac in te

unum contendant omnes amores mei. Potire omni voluntate mea, posside me totum. Consecro tibi mentem meam, ut de tua bonitate semper cogitet; consecro tibi et corpus meum, ut ad complacendum tibi me juvet; consecro tibi animam meam, ut tua sit tota. Vellem, o Dilecte animæ meæ, omnes homines singularem illam, qua eos complecteris, benevolentiam agnoscerent, ut ita solum ad honorandum et oblectandum te, prout desideras et mereris, vitam impenderent suam. Mea certe vita ita transigatur, ut perpetuus sim infinitæ tuæ pulchritudinis amator. Volo hinc in posterum, facere omnia quibus me tibi placiturum esse cognovero; et in animo mihi destinatum est, nullam unquam rem, quam tibi acceptam esse inspexero, omittere, licet omni labore mihi illa constet, licet vitam ipsam profundere me necesse sit. — O me beatum, si omnia amisero, eo scilicet pacto, ut te acquiram, te Deum meum, meum thesaurum, amorem meum, mea omnia!

*Oratio jac.:* Mi Jesu, tolle me mihi totum, ac totum me posside.

*Communio spirit.*

Digitized by Google

## Ad B. V. Mariam.

*Si quis est parvulus, veniat ad me.*[1]) Omnibus parvulis, qui matre egent, inclamat Maria, ut ad se recurrant, tanquam ad Matrem cunctis matribus amantiorem. Umbra est, inquit devotus Nierembergius, omnium matrum amor ad amorem, quo Maria erga unumquemque nostrum fervet. Mater mea, Mater animæ meæ, quæ me amas, et salutem meam post Deum magis quam omnes alii desideras, *monstra te esse Matrem.*

*Oratio jac.*: Mater mea, fac tui semper meminerim.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio IX.

(Jesus, quærens animas quas repleat gratiis.)

Dicit S. Joannes, ipsi se conspiciendum obtulisse Dominum aurea ad pectus fascia devinctum. *Vidi præcinctum ad mamillas zona aurea* (Apoc. I. 13). Sic Jesus in Sacramento mamillis est lacte plenis, i. e. gratiis, quas nobis ex misericordia elargiri desiderat; et quemadmodum mater plena habens ubera, puerulos quærit, qui

[1]) Prov. 9. 4.

sugant suoque eam pondere levent; ita ille nobis, *ad ubera*, inquit, *portabimini.*[1])

Vidit Ven. Pater Alvarez Jesum in Sacramento habentem manus gratiis ad plenum refertas et quibus eas distribueret, requirentem. Narrant S. Catharinam Senensem, cum ad SS. Sacramentum accederet, tam avide accedere consuevisse, ut morem infantuli appetentis ubera matris referret.

O dilectissime æterni Patris Unigenite, agnosco te omnium dignissimum esse, qui ameris. Ego te amare desidero, quantum mereris, aut certe quantum anima id cupere unquam valet. Probe scio me, proditorem et amori tuo rebellem, non mereri ut tibi prope assistam, sicut tibi hac in sede assisto. Sed audio nihilominus te meum tibi quærere amorem; audio te mihi dicentem: *Fili mi, præbe cor tuum mihi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Intelligo hac de causa vitam a te mihi conservatam, neque me detrusum esse ad inferos, ut ad amandum te totus tandem converterer.

---

[1]) Is. 66. 12.

Digitized by Google

Quoniam ergo a me amari vis, en in ditionem tuam, mi Deus, totum me dedo. Amo te, o Deus, qui totus bonitas, qui totus amor es; eligo te in unicum miselli cordis mei Regem ac Dominum. Tu illud vis, volo ego illud tibi dare. Frigidum est et sordidum; sed si illud acceperis, mox immutabitur. Muta me, Domine, muta me; non audeo, ut antea, vivere tam ingratus, tam parum amans tuæ bonitatis infinitæ, quæ me tantopere amat, et amorem meretur infinitum. Fac in posterum omnem erga te amorem, cui antehac defui, suppleam.

*Oratio jac.:* Mi Deus, mi Deus! volo te amare, te volo amare, amare te volo.

*Communio spirit.*

## Ad B. V. Mariam.

Tota similis est Jesu filio mater ejus Maria, quæ, cum sit mater misericordiæ, gaudet, ubi miseris succurrit eosque consolatur. Ac tantum quidem hujus matris est desiderium omnibus benefaciendi, ut sic dicat Bernardinus a Bustis: *Plus desiderat ipsa facere tibi bonum, et largiri gratiam, quam tu accipere concupiscas.*

Digitized by Google

*Oratio jac.:* Spes nostra, salve!

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio X.

(Jesus, quies unica nostrorum votorum.)

O insani, inclamat S. Augustinus omnibus sæculi amatoribus, o miseri, quo properatis, ut animum vestrum exsatietis; venite ad Jesum, a quo solo vestrum expleri potest desiderium: *Miseri quo itis? Bonum, quod quæritis, ab ipso est.* Noli et tu, anima mea, ita demens esse; quære Deum solum, *quære unum bonum, in quo sunt omnia bona,* ut idem S. Augustinus ait. Et si cito vis invenire, ecce tibi adstat vicinus. Dic illi quid velis; hac enim de causa in isto ciborio est, ut te consoletur et exaudiat. Dicit S. Teresia, non cuivis licere loqui cum rege; summum quod quis sperare possit, illud esse, ut per aliquem alium illi loquatur. At vero ut tibi loquamur, Rex gloriæ, nihil opus est alium interponere; semper te promptum exhibes ad dandam in hoc Sacramento audientiam. Ibi omnis, qui te quærit, invenit, et familiariter tecum agere ac colloqui potest. Deinde, donec eo quis deveniat, ut

cum rege loqui possit, quot et quantæ ei exsorbendæ sunt difficultates! Perraro intra annum ad audientiam admittunt reges. Tu vero in hoc Sacramento omnibus diu noctuque audientiam concedis, quoties ad eam admitti cupiunt.

O Sacramentum amoris, quod sive in communione te præbes, sive in altaribus existis, tot corda nosti blandis amoris tui artibus ad te trahere, quæ capta amore tui et tanta bonitate attonita feliciter ardent ac de te cogitant semper! Trahe tibi, precor, et cor meum miserabile, quod te quoque amare tuoque amori desiderat vivere mancipatum. Equidem ego omnia mea commoda, omnes meas spes affectusque meos omnes, animam, corpus, omnia ex hodierno die in manibus tuis depono. Nolo prorsusque nolo in posterum de sanctis tuis, mi Amor, dispositionibus conqueri. Scio illas omnes, quandoquidem ex tuo amanti corde enascuntur, mihi benevolas fore in meumque cessuras esse commodum. Satis est te illas voluisse, ut ego quoque eas, et in tempore et in æternitate, velim omnes.

Digitized by Google

Fac de me quidquid volueris; ego conformo me ad voluntatem tuam, quæ tota sancta, tota bona, tota pulchra, tota perfecta, tota proinde amabilis est. O Dei mei voluntas, quam mihi cara es! Volo semper et in vita et in morte remanere tecum conjunctus atque constrictus. Delectatio tua, delectatio mea; desideria tua, mea quoque sint desideria. Adjuva me, Domine Deus; fac ut ex hoc tempore tibi soli vivam, id solum velim, quod tu ipse vis, nec aliud quidpiam nisi amabilem tuam voluntatem amem. Moriar ego amore tui, cum tu pro me mortuus sis, meusque factus sis cibus. Illis jam diebus maledico, quibus meæ voluntati cum tanta tua offensione obsecutus sum. Amo te, o divina voluntas, quantum teipsum, Deum meum, amo; siquidem cum eo tu unum es atque idem. Te igitur toto pectore amo, et tibi me totum dono.

*Oratio jac.:* O voluntas Dei, tu es amor meus!

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

*Mecum sunt divitiæ,* inquit Regina ma-

gna, *ut ditem diligentes me.* [1]) Amemus Mariam, si volumus divites esse gratiis. Vocatur ab Idiota: thesauraria gratiarum. Beatus, qui cum amore et fiducia confugit ad Mariam! Mater mea, spes mea, tu me sanctum potes efficere: ex te hoc ipsum spero.

*Oratio jac.:* Mater amabilis, ora pro me!
*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XI.

(Jesus, munificus in sui cultores.)

„Curemus, inquit S. Teresia, ne procul abscedamus, neve oculos avertamus a caro nostro Pastore Jesu; nam oves, quæ propius pastorem consistunt, blandius habentur, ac sæpius nutriuntur, et pastor semper eis peculiarem aliquam buccellam impertit ejus, quo ipse vescitur, cibi. Quod si evenit ut obdormiscat, non recedit ovis, donec ipse expergiscatur, aut illa eum suscitaverit; et tum novis donatur muneribus.“ O mi Jesu, qui in Sacramento nobiscum commoraris, en me tibi prope assistentem; nolo aliud a te munus quam

---

[1]) Prov. 8. 18, 21.

spiritualis fervoris incrementum et in tui amore perseverantiam.

Gratias tibi ago, sancta Fides, quæ me doces, in divino altaris Sacramento, in hoc Pane cœlesti non esse panem, sed inesse Dominum meum Jesum Christum totum, et mei quidem amore inesse. Domine mi et mea omnia, ego te præsentem credo in SS. Sacramento et, licet incognitum oculis carnis, te tamen, sanctæ Fidei lumine collustratus, agnosco sub hostia consecrata ut cœli terræque Principem ac mundi Salvatorem. Tu es, dulcissime Jesu, spes mea, salus mea, mea fortitudo, solatium meum; et sic pariter volo sis unicus amor meus et unica cogitationum mearum, desideriorum atque affectuum meta. Magis mihi in summa, qua gaudes et gaudebis in æternum, felicitate complaceo, quam in omni quod, sive in tempore sive in æternitate, consequi possum, bono. Supremum meum oblectamentum in hoc est quod tu, percare mihi Redemptor, plene beatus es et quod tua beatitas nullo circumscribitur termino. Regna, regna, Domine, in animam meam; ego illam tibi totam dono; tu semper eam posside. Voluntas mea,

Digitized by Google

sensus ac facultates meæ tui sint amoris ancillæ, nec ad quidpiam aliud hoc in mundo serviant quam ad dandum tibi oblectamentum et gloriam. Talis vita tua fuit, Maria, Jesu mei parens ac piissima amatrix. Tu me adjuva, tu mihi impetra, ut ita vivam in posterum, sicut semper ipsa vixisti, summe felix Deo.

*Oratio jac.:* Fac, mi Jesu, sim totus tuus, et tu vicissim esto totus meus.

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

***Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei.***[1]) Beatus ille qui, ut pauperes ad divitum fores, sic ad Mariæ misericordissimæ fores adstat, intentus quærendæ eleemosynæ gratiarum. At beatior ille qui præterea virtutes, quas animadverterit in Maria, præsertim puritatem ejus et humilitatem, imitari conatur.

*Oratio jac.:* Succurre mihi, spes mea, Maria!

*Sequitur Oratio solita.*

---

[1]) Prov. 8. 34.



Digitized by Google

## Salutatio XII.

(Jesus, præ omni alio bono diligendus.)

*Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.*[1] Qui amat Jesum, est cum Jesu, et Jesus est cum eo: *si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*[2]

Exclamabat S. Philippus Nerius, cum sacrum ad se viaticum delatum videret: *en amor meus! en meus amor!* Dicat igitur unusquisque nostrum præsente hic, qui Sacramentum se fecit, Jesu: ecce amor meus, ecce meus amor! En is, in quem omnis meus collineat amor, et quem unice in præsenti vita ac per totam æternitatem amabo.

Quoniam igitur tu, Domine ac Deus meus, in Evangelio dixisti, qui te amaverit, eum a te amatum iri, teque venturum, ut in eo stabilem tibi sedem figas: amo te plus omni bono; tu itaque vicissim ama me, siquidem a te amari pluris facio quam omnia regna mundi possidere: et veni ac fige tibi in paupercula domo animæ meæ

---

[1]) I. Jo. 4. 16. — [2]) Jo. 14. 23.

Digitized by Google

sedem adeo stabilem ac fixam, ut nunquam amplius ab ea recedas, vel potius ut ego te non amplius inde expellam; non enim recedis, nisi pulsus. At vero, sicut præterito tempore te pepuli, ita te pellere possum venturo. Ah! ne sinas, quæso, mundum novo hoc scelere novaque hac ingrati animi fœditate contaminari, ut ego nempe, tot ac tantis a te favoribus auctus, tot ac tantis gratiis ditatus, te iterum ex anima mea expellam. Sed potest accidere; et propterea, Domine, mortem, si tibi placet, desidero, ut tecum conjunctus moriar ac tecum conjunctus, æterna tecum vita perfrui possim. Ita, mi Jesu, ita spero. Ego te amplector, ad meumque stringo pectus: fac te semper amem et semper a te amer. Ita, mi amabilissime Redemptor, ego te semper amabo, et tu vicissim me amabis semper. Spero fore, Deus animæ meæ, ut nos alter alterum in æternum amemus. Esto!

*Oratio jac.:* Te, mi Jesu, semper amare et a te semper amari volo.

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

*Qui operantur in me, non peccabunt.*[1]) Qui mihi, inquit Maria, obsequi studet, perseverantia donabitur. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt:* Et ii, qui me aliis notam facere contendunt, in prædestinatis erunt. Promitte, te, quotiescunque potueris, seu palam coram multis, seu clam in privatis colloquiis, de laudibus Mariæ, necnon de ejus cultu esse locuturum.

*Oratio jac.:* Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XIII.

(Jesus, perennis noster hospes.)

*Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.*[2]) Ecce tibi, qui lætam hanc promissionem attestatus est, Jesus in SS. Sacramento, ubi nobiscum diu noctuque commoratur. Satis tibi esse poterat, Domine, solum interdiu in Sacramento remanere, cum tuæ præsentiæ adoratores habere posses, qui se tibi conversationis socios exhiberent; sed quid proderat nocturuo etiam tempore

[1]) Eccli. 24. 30. — [2]) III. Reg. 9. 3.

remanere, ubi homines, clausis omnibus ecclesiarum portis, domum se recipiunt teque relinquunt omnino solum? Sed intelligo: amor te nobis captivum fecit; amor ille fervidus, quo nos amas, ita te alligat terris ut, nec noctu, nec diu, a nobis discedere te permittat. Deberet hæc sola, amabilissime Salvator, tui amoris subtilitas omnes homines astringere ad tibi, in sacris ciboriis latitanti, semper adstandum donec vi tandem pellerentur; et abscedentes deberent singuli sua tibi corda ad altarium gradus deposita relinquere, cum omnibus suis affectibus erga te, qui nostri causa homo factus es, qui remanes solus et in tabernaculo inclusus ad observandas et curandas nostras miserias, qui etiam totus cor es ad nos amandos atque ad exspectandum posterum diem, quo rursus a tibi caris invisaris.

Ita, Jesu mi, volo explere desiderium tuum; omnem enim voluntatem meam et omnes meos affectus tibi consecro. O Deus infinitæ majestatis remansisti in divino hoc Sacramento, non solum ut nobis vicinus semper ac præsens adstares, sed etiam, et hoc maxime, ut temet-

ipsum animis tibi caris largireris. Sed quis audebit ad te accedere, ut sanctissima tua carne vescatur? Sed quis, contra, audebit procul a te abscedere? Tu eam ob causam sub hostia consecrata delitescis, ut in nosmet ingrediaris ac nostra corda possideas. Tu ardenter a nobis recipi desideras, tibique gaudes cum arcte nobiscum conjungeris. Veni ergo, Jesu mi, veni! Desidero te intra memetipsum recipere, ut sis Deus animæ ac voluntatis meæ. Quidquid in me est, o care mihi Redemptor, cedo amori tuo: cedo delectamenta, voluptates, voluntatem meam; cedo tibi omnia. Regna, o mi amor, o Deus amoris, regna et triumpha de me toto; destrue, macta quidquid in me meum, non tuum est. Ne sinas, amor mi, animam meam, Dei majestate impletam, cum te in sancta communione receperit, ullius postea creaturæ studio teneri. Amo te, mi Deus, amo te et semper te solum amare volo.

*Oratio jac.:* Trahe me post te vinculis amoris tui.

*Communio spirit.*

Digitized by Google

## Ad B. V. Mariam.

Exhortatur nos S. Bernardus in hunc modum: *quæramus gratiam et per Mariam quæramus.* Maria, ut ait D. Petrus Damianus, est *thesaurus divinarum gratiarum.* Ipsa potest nos ditare et ditare nos cupit. Quapropter sic nos invitat atque arcessit: *Si quis est parvulus, veniat ad me.*[1]) Domina amabilissima, Domina præcellentissima, blandissima Domina, respice miserum peccatorem commendantem se tibi, et in te plenissime confidentem.

*Oratio jac.:* Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XIV.

(Jesus, nostris benigne annuens precibus.)

Audio te, amabilissime Jesu, ex hoc, in quo detineris ciborio, dicentem: *hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.*[2]) Si tu igitur tuam tibi habitationem inter nos in altaribus elegisti, et si amor gratam tibi in SS. Sacramento requiem præbet, æquum est profecto nostras

---

[1]) Prov. 9. 4. — [2]) Ps. 131. 14.

Digitized by Google

quoque mentes affectu apud te semper habitare, ibique omnes suas collocatas habere delicias et omnem requiem. O beatæ vos, amantes animæ, quibus nulla amplius, in toto orbe terrarum, requies invenitur, nisi prope vestrum in Sacramento Jesum consistatis! Sed et me beatum, Domine mi, si ex hoc die nullas majores delicias noscerem, quam tibi semper præsentem assistere, aut semper cogitare de te, qui in Sacramento de me meoque bono semper cogitans immoraris.

Quid vero, Domine? O quot annos perdidi, quibus te non amavi! Infelices annos, vobis jam maledico! Benedico vero tibi, o infinita patientia Dei mei, quæ me tuo amori tamdiu et tantopere ingratum tolerasti. Sed tamen vel sic ingratum me exspectasti; quorsum hoc, mi Deus, quorsum? Eo nimirum ut, tua tandem misericordia tuoque amore victus, totum me tibi manciparem. Nolo, Domine, amplius resistere; nolo tibi amplius esse ingratus. Justum est, hoc saltem quod reliquum est vitæ meæ, sive multum sive parum, a me tibi consecrari. Ex te ego, mi Jesu, id spero, quo tuus esse valeam.

Digitized by Google

Tu tot ac tanta in me contulisti beneficia, quando te fugiebam et tuum amorem contemnebam, quanto igitur amplior spes est fore ut nunc, cum te quæro, cum te amare desidero, tuo me favore complectaris! Da ergo gratiam, o Deus infinito amore digne, ut amem te. Amo te toto corde meo, amo te super omnia, amo te magis me ipso, magis vita mea. Pœnitet me quod te offendi, infinita Bonitas! Da veniam, et cum venia largire auxilium amandi te multum ad mortem usque in hac vitá, deinde in altera per omnem æternitatem. Notum fac, Deus, istud mundo prodigium, ut anima, usque adeo ingrata, evadat una ex amantissimis tui. Hoc, Jesu mi, per tua merita facito! Sic desidero, sic facere mihi destinatum est, quamdiu vixero. Tu vires etiam suppedita, qui tale in me desiderium excitasti.

*Oratio jac.*: Gratias tibi ago, mi Jesu, quod hucusque me exspectasti.

*Communio spirit.*

Ad B. V. Mariam.

*Nullus est*, inquit S. Germanus, colloquens cum Virgine Deipara Maria, *qui*

*salvus fiat, nisi per te; nemo qui liberetur a malis, nisi per te; nemo cui donum concedatur, nisi per te.* Ergo, ni adjuvas me, Domina mea, et spes mea, perii, nec potero Beatorum cœtui, tibi benedicturus, aggregari. Sed audio, Domina, ex Sanctis, qui idem dicunt omnes: non derelinqui a te, quicumque ad te confugerit. Qui ad te non confugit, ille solus perit. Ego miserabilis ad te confugio, et in te omnem spem meam repono.

*Oratio jac.:* Hæc tota mea fiducia, hæc tota ratio spei meæ.[1])

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XV.

(Jesus, ignis inflammans corda hominum.)

*Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur.*[2]) Negabat venerabilis Pater Franciscus Olympius Theatinus, ullam esse in terris rem, quæ ignem divini amoris, in cordibus mortalium magis quam Ss. Sacramentum altaris, accendat. Hinc S. Catharinæ Senensi videndum se præbuit Dominus ut fornacem, ex qua

---

[1]) S. Bern. *De aquæd.* — [2]) Luc. 12. 49.

divinarum flammarum torrentes elapsi per totum orbem diffundebantur. Quare vehementer sancta illa virgo mirabatur, posse homines vivere, quin ad tantum Dei in se amorem, Dei vicissim amore toti arderent. Tu, Jesu mi, fac te ardeam, fac ut de nulla alia re, nisi de te cogitem, ut nihil aliud nisi te velim atque exoptem. O me beatum, si sanctus isthic tuus ignis me totum teneret; et omnes terrenos affectus, interea dum anni mei labuntur, feliciter in me exstingueret!

O Verbum divinum, o bone Jesu, video te totum immolatum, totum exinanitum, meique amore in altari destructum. Si tu igitur, amore mei ductus, totus, mea causa, immolaris, æquum est profecto, ut ego quoque totum me tibi consecrem. Ita, mi Deus ac supreme Domine, ego hodie animam meam, totum me, voluntatem vitamque meam omnem in sacrificium tibi offero. Conjungo perexiguum istud meum sacrificium cum infinito illo sui ipsius sacrificio, quod semel tibi, æterne Pater, in terris obtulit, in aris vero toties per singulos dies offert Jesus Christus,

filius tuus, Salvator meus. Tu vero, per Jesu merita, illud accipe, et concede mihi gratiam illud renovandi omnibus diebus vitæ meæ, moriendique eo modo, quo me totum honori offeram tuo. Quam tot martyribus concessisti gratiam, ut suam vitam pro te profunderent, hanc eamdem ego quoque mihi exopto. Quodsi tanta gratia indignus sum, fac saltem, ut illud mortis genus, quod mihi destinasti, libenti animo amplectar, utque hoc saltem modo vitam meam in sacrificium tibi offeram. Hanc mihi, Domine, gratiam efflagito: volo mortem ea mente oppetere, ut te colam tibique complaceam; et jam in præsenti vitam meam tibi sacrifico, et mortem, quæcunque et quandocunque futura est, tibi offero.

*Oratio jac.:* Volo mori Jesu mi, ut tibi complaceam.

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

Patere, dulcissima mea Domina, ut a me quoque cum S. Bernardo voceris *tota ratio spei meæ;* patere, ut cum S. Joanne Damasceno tibi dicam: *totam spem meam in te*

Digitized by Google

*collocavi.* Tu mihi debes peccatorum veniam impetrare, tu perseverantiam ad mortem usque, tu liberationem a Purgatorio. Qui salvi fiunt, per te fiunt; tu ergo, Maria, debes æternæ meæ saluti consulere. *Quem vis*, ait S. Bonaventura,[1]) *salvus erit.* Velis igitur salvum me facere, et salvus ero. Tu, quotquot te invocant, salvos facis omnes. Ecce his ego te verbis invoco:

*Oratio jac.:* O salus te invocantium, salva me.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XVI.

(Jesus, medicus animarum.)

O si homines ad SS. Sacramentum, suis remedium malis quæsituri, semper confugerent, non essent profecto ita miserabiles, uti sunt! Plangebat Jeremias dicens: *numquid resina,* (aut, sicut Chaldæus vertit, *numquid balsamum) non est in Galaad, aut medicus non est ibi?*[2]) Galaad, Arabiæ mons aromaticis opimus unguentis, ut notat Ven. Beda, figura est Christi Jesu, qui in hoc

---

[1]) *Cant.* post Psalt. — [2]) Jer. 8. 22.

Digitized by Google

Sacramento parata habet, adversus omnia mala nostra, remedia: Quare igitur (videtur dicere Redemptor) querimini mala vestra, filii Adam, cum hoc in Sacramento et medicum habeatis et medicamentum omnis mali? *Venite ad me omnes et ego reficiam vos.* Dicam ergo cum sororibus Lazari: *ecce, quem amas, infirmatur.* Ego sum, Domine, ille miserabilis, quem tu amas, habeo animam ex commissis peccatis magnopere vulneratam; ad te igitur, mi divine medice, venio, ut me sanes; potes enim, si vis: *sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Trahe me totum ad te, mi dulcissime Jesu, blandissimis artibus amoris tui. Tecum esse conjunctum, mihi pluris est quam dominum fieri universi orbis. Nil aliud in toto mundo, quam amare te, opto. Parum habeo, quod tibi dem; sed, si cuncta terrarum regna habere possem, ob id unum vellem, ut omnibus tui causa renuntiarem. Propter te igitur, quibuscunque possum renuntio; omnibus nempe consanguineis, commoditatibus et oblectamentis, atque ipsis etiam consolationibus spiritualibus; renuntio libertati, renuntio voluntati meæ. In te, volo, collineent amores mei omnes. Amo te, Bo-

Digitized by Google

nitas infinita, amo te magis me ipso, futurumque esse spero, ut per omnem te amem æternitatem.

*Oratio jac.:* Mi Jesu, tibi me dono; tu me suscipito!

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

Tu, Domina mea, S. Birgittæ dixisti: *quantumcumque homo peccet, si ex vera emendatione ad me reversus fuerit, statim parata sum recipere revertentem; nec attendo quantum peccaverit, sed cum quali voluntate venit. Nam non dedignor ejus plagas ungere et sanare: quia vocor et vere sum mater misericordiæ.* Si igitur sanare me potes, et sanare etiam cupis, en confugio ad te, cœlestis Medica; cura tot gravia animæ meæ vulnera; voce una, qua usa fueris ad Filium tuum, sanabor.

*Oratio jac.:* O Maria, miserere mei!

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XVII.

(Jesus, hominum consolator.)

Nihil tam suaviter afficit amantes, quam in præsentia eorum esse quos amant.

Si igitur Jesum valde amamus, ecce nobis præsens adest: videt et audit nos noster in Sacramento latitans Dominus; nos vero nihil illi dicemus? Consolemur nos illius convictu; gaudeamus gloria ejus, et amore, quo tot animæ SS. Sacramentum prosequuntur; cupiamus, Jesum qui se nobis in hoc Sacramento reliquit, ab omnibus amari et ab omnibus sua ei pectora consecrari; nos certe omnem illi affectum nostrum consecremus. Sit ille totus amor noster, sit totum desiderium nostrum. Salesius, presbyter ex societate Jesu, vel loquendo de SS. Sacramento, sentiebat se consolatione totum perfundi, nec poterat unquam eo visitando satiari; si ad januam vocabatur, si redibat in cellam, si per domum aliquo se ferebat, his omnibus occasionibus ad iterandas amato Domino suo salutationes uti studebat; sicque observatum est, vix ullam diei horam effluxisse, qua non illi salutator accederet. Et meruit tandem, Sacramenti veritatem defendens, hæreticorum manu occumbere. O utinam hoc mihi quoque contingat, ut pro tam nobili causa mortem aliquando oppetam, id est pro asserenda veritate hujus

Digitized by Google

Sacramenti, in quo tu, amabilissime Jesu, singularem illum tuum erga homines amorem nobis patefecisti.

Tu vero, Domine, qui tot in hoc Sacramento patras miracula, patra, precor, et hoc alterum:

Trahe me totum ad te. Jam me totum tibi desideras, utque tibi me dedam, nimium promereris. Da mihi virtutem toto te affectu diligendi. Bona hujus mundi da cuivis alteri; ego renuntio universis. Solum suspiro ac volo amorem tui; hunc unum quæro, et quæram semper. Amo te, mi Jesu. Fac ut te semper amem, nec aliud quidpiam peto.

*Oratio jac.:* Quando, mi Jesu, vere amabo te?

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

Quam mihi placet, Regina mea dulcissima, pulchrum illud, quo tibi devoti homines te appellant, nomen: *Mater amabilis.* Næ tu amabilis es, Domina mea! Tua namque pulchritudo ipsum Dominum tuum in tui amorem induxit: *Concupivit Rex spe-*



Digitized by Google

*ciem tuam.* Dicit S. Bonaventura, tam amabile esse nomen tuum tui amantibus, ut illud vel pronuntiando vel pronuntiari audiendo, desiderium te amandi in se accendi et increscere sentiant. *O dulcis, o pia, o multum amabilis Maria! Tu nec nominari potes, quin accendas, nec aurium aditus ingredi potes, quin recrees affectus diligentium te.* Æquum est igitur, amabilissima Mater mea, te a me amari; ast mihi non satis est te utcumque amare; volo nunc in terris, deinde in cœlis, in amando te primus esse post Deum. Si audacius est hoc desiderium, tua amabilitas non minus quam specialis ille, quem mihi exhibuisti, amor in causa sunt, cur tali ego desiderio tenear. Minus amabilis si esses, minus amare te cuperem. Accipe ergo, Domina, hoc meum desiderium, in signumque accepti, eum mihi a Deo, quem posco, amorem impetra, siquidem tantopere gratus est Deo, qui erga te fovetur amor.

*Oratio jac.:* Mater mea amabilissima, multum te amo!

*Sequitur Oratio solita.*

Digitized by Google

**Salutatio XVIII.**

**(Jesus, exspectans nostras salutationes.)**

Solio majestatis insidebit aliquando Jesus, in valle Josaphat; at nunc amoris solio insidet, in SS. Sacramento. Si quis rex, amoris sui erga misellum pastorem exhibendi gratia, in eumdem viculum, ubi iste maneret, concederet suumque ibi domicilium collocaret; quam ingrato animo esset rusticus ille, si non frequens regi salutator appareret, sciens regem tanto ipsius videndi desiderio teneri, ut, quo facilior ac frequentior ad se esset accessus, eum locum in habitationem sibi elegerit, eumque hanc ob causam eo loci se contulisse? O mi Jesu, amore mei (intelligo nempe) venisti ad commorandum in altaris Sacramento! vellem igitur noctes ac dies, si id mihi liceret, in tua præsentia detineri. Quod si angeli non desinunt tibi, mi Domine, præsentes assistere, obstupefacti amore erga nos tuo; æquum est profecto me tibi, quem mei causa in hoc altari commorantem video, in hoc saltem me gratum exhibere, ut prope te consistam ad laudandum amorem, et quæ est erga me, bonitatem tuam. *In conspectu angelo-*



Digitized by Google

*rum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo super misericordia tua et veritate.*[1])

O Sacramentum facte Deus, o panis angelorum, o cibe divine, amo te; sed nec ego nec tu meo contenti sumus amore. — Amo te, sed heu! nimis parum. Facito, Jesu mi, cognoscam immensam pulchritudinem et bonitatem, quam amo; facito, pellat cor meum affectus terrenos omnes omnemque cedat locum divino amori tuo. Tu, tui in me succensurus amorem, tecumque me totum conjuncturus, e cœlis in aras descendis quotidie: est igitur justum, me non aliud cogitare, quam qui te amem, te adorem, tibique in omnibus complaceam. Amo te toto animo meo, amo te totis affectibus meis. Siquam pro hoc amore mercedem daturus es, da plus amoris, da flammarum amplius, quæ efficiant ut te semper magis amem, ac magis tibi placere cupiam.

*Oratio jac.:* Amorem da mihi, Jesu, amor mi!

*Communio spirit.*

---

[1]) Ps. 137, 2.

Digitized by Google

## Ad B. V. Mariam.

Quemadmodum pauperes illi ægroti, qui suas ob miserias ab omnibus derelicti, publica tantum hospitia habent, quo recipiantur: ita peccatores, quamlibet miseri, etsi repulsi ab omnibus, a misericordia tamen Mariæ non repelluntur; quam Deus idcirco in hoc mundo locavit, ut receptaculum esset ac publicum quoddam nosocomium peccantibus, ut ait D. Basilius: *aperuit Deus peccatoribus publicum valetudinarium.* Unde S. Ephrem *diversorium peccatorum* eam insuper nuncupat. Ergo, si ad te confugio, Regina mea, tu me ob peccata mea repellere nequis. Imo, quo sum miserior, hoc plus mihi rationis est, cur in tuam tutelam recipiar, cum in refugium miserrimorum te creaverit Deus. Ad te itaque, o Maria, confugio ac tutelæ tuæ me committo. Tu refugium es peccatorum; tu ergo meum esto refugium, tu spes salutis meæ.

*Oratio jac.*: Maria, refugium meum, salvum me fac.

*Sequitur Oratio solita.*

Digitized by Google

## Salutatio XIX.

(Jesus, noster amicus.)

Dulce est omnibus, cari amici colloquio frui; et nobis dulce non fuerit, in hac valle lacrimarum, gaudere colloquio amici omnium, quos habeamus, optimi, qui omne bonum conferre nobis potest, et ardenter nos amat, ob eamque causam nobis continenter adesse perseverat? En, coram SS. Sacramento, possumus ad arbitrium colloqui cum Jesu, nostras illi mentes aperire, exponere necessitates, auxilia flagitare; uno verbo, possumus cum Rege cœlorum in hoc Sacramento fidentissime tractare. Eximie felix erat Joseph, cum Deus, ipsum consolandi gratia, in carcerem, teste Scriptura, descenderet: *descendit cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum.*[1]) — At longe fortunatiores sumus nos, quod, hac in terra miseriarum, Deum hominem factum semper apud nos habemus, qui reali sua præsentia nobis, semper per omne vitæ nostræ spatium, tam amanter ac misericorditer, assistit. Miser aliquis in carcere squalens, quanta consolatione lenitur

[1]) Sap. 10. 13.

ex præsentia sibi benevoli amici, qui cum ipso colloquatur, ipsi solatium præbeat ac spem, ipsi succurrat et allevare miserias curet! Ecce bonus ille noster amicus Jesus Christus, qui hoc in Sacramento nobis animos facit, dicens: *ecce vobiscum sum omnibus diebus.* Ecce ego, inquit, totus vester, consulto delapsus e cœlis in hunc carcerem vestrum, vos ut solarer, adjuvarem, liberarem. Accipite me, versamini semper mecum, arcte mihi adhærete; nec vestras ultra miserias sentietis; deinde ad me in meum regnum venietis, ubi vos efficiam perfecte beatos.

O Deus, o incomprehensibilis amor, quandoquidem te nobis ita benignum exhibere dignaris, ut quo major tibi nobiscum sit vicinia, in nostra non gravere descendere altaria, stat mihi in tuum crebro me dare conspectum; volo, quam sæpissime licebit, gaudere suavissima præsentia tua, quæ Sanctos in cœlis beatitudine perfundit. Utinam mihi liceret tibi semper adstare et in eliciendis adorationis atque amoris actibus jugiter detineri. Excita, quæso, animam meam, cum, aut tepore, aut sæculi sopita curis, te visitare non

Digitized by Google

curat. Magnum in me accende desiderium tibi hoc in Sacramento prope adstandi semper! Utinam te, bone Jesu, semper amavissem; utinam tibi semper placere studuissem! Solatur me interim bona spes fore, ut non in altera tantum, sed etiam in hac vita, id faciendi spatium mihi restet. Id facere volo: volo vere amare te, summum Bonum meum, mi amor, mi thesaure, mea omnia. Volo totis te viribus adamare.

*Oratio jac.:* Adjuva me, mi Deus, ut amem te.

*Communio spirit.*

## Ad B. V. Mariam.

*O peccator, non diffidas,* inquit devotus Bernardinus a Bustis, *sed secure ad istam Dominam recurras: invenies eam manibus plenam misericordia et largitate. Plus enim,* subdit, *ipsa desiderat facere tibi bonum, quam tu accipere concupiscas.* Gratias semper Deo ago, Domina mea, quod mihi dedit cognitionem tui. Me miserum, si te aut non noscerem, aut obliviscerer aliquando! male foret de salute mea. At tibi, Mater mea, benedico, te amo, tibi plane confido, in

Digitized by Google

tuisque præterea manibus totam animam meam depono.

*Oratio jac.:* Beatus, o Maria, qui te novit, in teque confidit.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XX.

(Jesus, mundans nos a quotidianis culpis.)

*In die illa*, inquit Zacharias, *erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris.*[1]) Jesus in Sacramento est ille, quem propheta prædixit fons, in quo animas nostras, quoties volumus, a cunctis, quibus quotidie contaminamur, peccatorum maculis lavare possumus. Si quis aliquam culpam admittat, quo meliori remedio uti poterit quam repentino ad SS. Sacramentum perfugio?

Equidem sic, Jesu mi, semper facere volo, probe sciens hasce fontis tui aquas non modo ad lavandum valere, sed etiam ad illustrandum, ad infundendum vigorem, quo confortatus a lapsu in peccatum præserver, et res adversas lætus perferam, ad novas denique excitandas flammas, quibus

¹) Zach. 13. 1.

Digitized by Google

jugiter tui amore succensus ardeam. Scio ad hoc te exspectare salutationes meas, tuique amantium salutationes tantis a te remunerari gratiis. Agedum, Jesu mi, lava me ab omnibus, quibus hodie me inquinavi, culparum maculis; earum me, quod tibi displicui, pœnitet; da virtutem ne iis amplius contaminer, tribuendo mihi magnum te amandi ardorem. O si mihi liceret in tui semper versari vicinia, ut versabatur fidelis serva tua Maria Diaz! Obtinuerat hæc Divæ Theresiæ æquæva ab Abulensi episcopo licentiam habitandi in ipsius sacræ ædis podio, ubi fere continenter SS. Sacramento assistebat, quod suum Vicinum vocabat, et unde nunquam, nisi sacræ confessionis et communionis causa, digrediebatur.

Venerabilis frater Franciscus de Puero Jesu, carmelita discalceatus, cum aliquam sacram ædem, in qua SS. Sacramentum esset, præteriret, non poterat non intrare, nempe invisendi gratia, negans decens esse amicum amici domum transire quin, salutandi, unoque saltem verbo eum alloquendi causa, eo ingrediatur. At non satis illi erat amatum suum Dominum uno salu-

Digitized by Google

tasse verbo; semper enim, quamdiu poterat, cum eo morabatur.

Unicum et infinitum Bonum meum, video te eo consilio isthoc instituisse Sacramentum in hocque remanere altari, ut a me ameris; ad hunc usum, cor amori aptum mihi dedisti. Cur igitur, ingratus ego, te non amo? aut ita parum amo? Nullo pacto justum est, Bonitatem tantam, quanta tu es, amari parum. Alium certe amorem tuus erga me amor sibi meretur. Tu Deus es immensæ majestatis; ego autem vermis sum vilissimus. Parum est, me mori pro te, consumi pro te, qui pro me mortuus es, et etiamnum quotidie in altaribus mei causa immolaris. — Mereris amari multum: multum te amare volo. Adjuva me, Jesu mi, adjuva me, ut amem te, faciamque id, quod tibi usque adeo placet, et quod a me tantopere quæris.

*Oratio jac.:* Dilectus meus mihi et ego illi. — *Communio spirit.*

## Ad B. V. Mariam.

O Regina mea dulcissima, piissima, amabilissima, quantam S. Bernardus ad te recurrenti mihi ingerit spem! *Maria*, in-

Digitized by Google

quit, *non discutit merita, sed omnibus se exorabilem præbet.* Ergo, si te rogabo, benigne me audies. Audi porro, quid abs te petam: ego miser peccator sum, millies dignus, qui in infernum detrudar; nunc in animo mihi est mutare vitam; volo Deum, quem tantopere offendi, amare. Tibi me ut mancipium devoveo, tibi me dono, utut sum miser. Salvum fac, (inquam tibi) qui tuus, non jam suus, est. An intellexisti me, Domina mea? Spero, et intellexisse te et exaudiisse.

*Oratio jac.:* O Maria, tuus sum ego; salvum me fac.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XXI.

(Jesus, magnes animarum terrestria aversantium.)

*Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.*[1]) Isto corpore significari corpus Jesu Christi communiter affirmant sancti; aquilis autem, mentes a temporalibus vacuas, quæ, aquilarum more, supra terrena se tollant volentque ad cœlum, quod cogitatione et affectu jugiter suspirant, et ubi perpetuo commorantur.

---

1) Luc. 17. 37.

Hæ igitur aquilæ iis in locis suas delicias reperiunt, ubi Jesum in Sacramento inveniunt, ita ut earum desiderio illi semper adstandi satisfieri non posse videatur. Si aquilæ, ut ait S. Hieronymus, odoratæ cadaver aliquod e longinquo, ad requirendum illud proficiscuntur, quanto magis nos et currere et volare debemus ad Jesum in SS. Sacramento, utpote ad dulcissimam nostrorum cordium escam? Ideo Sancti, hac in valle lacrymarum, semper ad cœlestem hunc fontem, velut cervi sitientes, accurrere contendebant. P. Balthasar Alvarez e Societate Jesu, quocumque negotio detineretur, crebro oculos eo conjiciebat, ubi sciebat esse Sacramentum. Ipsum sæpissime invisebat, et interdum noctes ibidem agebat totas. Plangebat autem videns magnatum palatia referta hominibus, qui miseri cujusdam boni spe allecti, hominem colerent; tam desertas vero reperiens ecclesias, ubi summus habitat mundi princeps, qui nobiscum in terris, velut in solio amoris, immensis æternisque bonis affluens, commorari perseverat. Et nimis fortunatos prædicabat Religiosos, qui in ipsis suis domibus, quoties

Digitized by Google

volunt, diu noctuque invisere possunt magnum hunc Dominum in SS. Sacramento: id quod non possunt sæculares.

Quoniam igitur, amantissime Domine, licet me adeo vilem tuoque amori adeo ingratum videas, cum tanta nihilominus bonitate me vocas ut tibi propinquem; nolo meas ob miserias animum abjicere. Venio ad teque accedo. Tu vero totum me immuta, pelle a me amorem omnem, qui tibi non ardet, omne desiderium, quod tibi non placet, cogitationem omnem, quæ ad te non collineat. Mi Jesu, amor mi, thesaure mi, mea omnia, tibi uni volo placere, te unum oblectare. Tu solus mereris amorem meum omnem; te solum toto corde amare volo. Ab omnibus rebus, Domine, me avelle, et tecum solo me conjunge; sed tam arcte conjunge, ut non possim unquam, nec in hac nec in altera vita a te disjungi.

*Oratio jac.:* Jesu mi dulcissime, ne sinas me separari a te. — *Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

A Dionysio carthusiano vocatur sanctissima Virgo *Advocata omnium iniquorum*

*ad se confugientium.* Quoniam ergo tuum est, magna Dei Mater, defendere causas sceleratissimorum, qui ad te confugiunt: ecce me hodie ad tuos prostratum pedes; tibi me sisto et cum S. Thoma a Villanova tibi dico: *Eia ergo, advocata nostra, officium tuum imple.* Agedum, exerce officium tuum, suscipe patrocinium mei. Verum est, nimis me evasisse reum Domino meo, offendendo eum tantopere, post tanta beneficia totque in me collatas gratias; ast jam accidit malum. Tu potes salvum me facere; satis est te dixisse Deo tuo: hunc ego defendo, ut veniam consequar ac salutem.

*Oratio jac.:* Mater mihi cara, tu habes me salvum facere!

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XXII.

(Jesus, facilis accessu.)

Circuibat olim Sponsa, in Cantico Canticorum, suum quærens dilectum; quem cum non reperiret, interrogabat: *num quem diligit anima mea, vidistis?*[1]) Tunc nondum

[1]) Cant. 3. 3.

in terris habitabat Jesus: nunc autem, siqua Jesum amans anima illum quærit, in SS. Sacramento semper inveniet. Dicebat venerabilis Pater Magister Avila, se, inter omnia sanctuaria, nec nosse, nec desiderare amabilius ullum, quam sacram ædem, ubi SS. Sacramentum reperiatur.

O infinite Dei mei amor, infinito digne amore! Qui tandem potuisti, Jesu mi, eo usque te demittere ut, ad conversandum cum hominibus ad eorumque te admiscendum mentibus, sub panis specie te abscondere volueris. O Jesu, Verbum caro factum, summus fuisti in deprimendo te, quia summus es in amando! Quomodo possim non amare te totis, quas habeo, viribus, cum sciam quanta feceris, ut meum tibi captares amorem? Multum te amo, hacque de causa id, quod tibi placet, omnibus meis commodis ac deliciis omnibus antepono. Oblectatio mea est tibi esse oblectamento mi Jesu, mi Deus, mi amor, mea omnia. Accende in me sitim magnam in tua, qui Sacramentum factus es, præsentia versandi perpetuo, et recipiendi te frequenter in sacra communione. Territant me quidem, fateor, tua majestas et mea

Digitized by Google

miseria; sed animum mihi erigit tua bonitas, quæ me tam amanter ad te recipiendum et tecum colloquendum invitat. Ingratus forem, nisi adeo suavi ac blandæ invitationi annuerem. Exstingue in me, precor, Domine, omnem erga res creatas affectum. Tu solus, creator mi, vis esse meta omnium meorum suspiriorum amorumque meorum omnium. Amo te, amabilissima Dei mei Bonitas. Nihil aliud a te quam te ipsum mihi peto. Non illud ego volo quod me oblectat, sed quod tibi placitum est, idque mihi sufficit. Suscipe, Jesu mi, bonum hoc desiderium a peccatore, qui te amare exoptat. Adjuva me tua gratia; fac ut ego, miserum inferni mancipium, tui deinceps amoris mancipium evadam.

*Oratio jac.:* Amo te, Jesu, Bonum meum, supra omne bonum.

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

Dulcissima Domina et mater mea, Maria, sum ego vilis homo, qui a magno Filio tuo descivi, sed venio, facti pœnitens, ad tuam misericordiam, ut tu mihi veniam im-



Digitized by Google

patres. Ne dixeris, non posse te mihi succurrere, quandoquidem a S. Bernardo *Ministra propitiationis* appellaris. Tibi item obtigit munus juvandi periclitantes, quoniam te cum S. Ephrem *Opitulatricem periclitantium* vocamus. Quis me magis, o Domina, periclitatur? Ego Deum perdidi; est certum, ad inferos me esse damnatum, ast incertum, an mihi jam concessa sit venia; denique possum ad faciendam Dei jacturam iterum adduci. Tu vero potes omnia mihi obtinere; et ego a te omne bonum spero: veniam, perseverantiam in virtute, ac cœlestem gloriam. Illud fore spero ut, in Beatorum regno, unus ex illis sim, qui tuas, o Maria, misericordias maxime laudent, si tua nempe intercessione salutem fuero consecutus.

*Oratio jac.:* Misericordias Mariæ in æternum cantabo, in æternum cantabo. Amen, Amen. — *Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XXIII.

(Jesus, Rex cœli, noster Vicinus.)

Perferunt multos labores et multis se committunt periculis pii illi christiani, qui Terræ Sanctæ loca, ubi amantissimus Sal-

vator noster natus, passus et mortuus est, invisunt. At nobis non opus est tam longum iter facere ac tanta subire pericula; vicinus est nobis idem ille Dominus, qui habitat in ecclesiis, paucos passus remotis a domibus nostris. Si beatos se existimant peregrini, ut ait D. Paulinus, cum e sanctis illis locis aliquid pulveris, præsepio vel sepulchro, ubi sepultus fuit Jesus, abrasi, secum reportant; quo nos ardore convenit visitare SS. Sacramentum, ubi idem ille Jesus commoratur et adiri potest sine tantis periculis. Religiosus quidam, cui Deus multum amoris erga SS. Sacramentum infuderat, hæc, inter alia, in quadam epistola scripsit: „Vidi," inquit, „omne bonum a SS. Sacramento mihi provenire. Ego me totum Jesu in Sacramento dedi et consecravi. Ingentem video copiam favorum, qui non dispensantur, quia non ad hoc divinum Sacramentum itur. — Video magnum inesse Domino nostro desiderium suos dispertiendi favores e SS. Sacramento. O sanctum Mysterium! o sacram Hostiam! quid habetur, in quo Deus magis suam potentiam quam in hac Hostia manifestet? Quidquid enim ipse pro nobis unquam



Digitized by Google

patravit, hac Hostia continetur. Ne Beatis invideamus, quoniam eumdem habemus Dominum in terris, cum majoribus etiam amoris sui miraculis. Fac illi, quibuscum loqueris, se totos SS. Sacramento dedicent. Ego ita loquor, quia hoc Sacramentum me extra me rapit. Nec possum desinere loqui de hoc SS. Sacramento, quod usque adeo amari meretur. Quid pro Jesu in Sacramento faciam, incassum quæro.“ Hic finis epistolæ.

O Seraphim, quam suaviter ardetis amore erga vestrum meumque Dominum; nec vestri tamen, sed mei causa in hoc Sacramento collocare se voluit iste cœli Dominus. Me igitur, amantes Angeli, ardere sinitote, et vestro me ardore, ut ego quoque vobiscum ardeam, succendite. Tu vero, Jesu mi, fac tui amoris immensitas mihi tam manifeste innotescat, ut tanto amore conspecto, meum te amandi et oblectandi desiderium majora semper capiat incrementa. Amo te, amabilissime Domine, teque semper amare volo ad hoc solum, ut tibi placeam.

*Oratio jac.:* In te credo, mi Jesu, in te spero, te amo, tibi me dono.

*Communio spirit.*

Digitized by Google

## Ad B. V. Mariam.

Amabilissima Virgo, tu vocaris a S. Bonaventura *Mater orphanorum*, et a S. Ephrem *Susceptio orphanorum.* Eheu! non alii sunt miserabiles isti orphani, nisi miseri peccatores, qui Deum perdiderunt. En igitur, o Maria sanctissima, ad te confugio: ego Patrem perdidi, tu vero Mater mea es, cujus est efficere, ut illum recuperem. In tanta mea miseria, tuum mihi imploro auxilium; tu mihi succurre. Num remanebo consolationis expers? Negat Innocentius III, ita de te disserens: *Quis invocavit eam et non est exauditus ab ipsa?* Ecquis te unquam rogavit, quin in precibus ei occurreris, quin eum adjuveris? Quis unquam, qui ad te confugit, periit? Is tantum perit, qui ad te non recurrit. Ergo, Regina mea, si me vis salvum, fac ut te semper invocem, in teque semper confidam.

*Oratio jac.:* Sanctissima mea Maria, da mihi magnam in te fiduciam.

*Sequitur Oratio solita.*

Digitized by Google

## Salutatio XXIV.

(Jesus velans majestatem, ut revelet caritatem.)

*Vere tu es Deus absconditus.*[1]) In nullo alio divini amoris opere tam vera se exhibent verba ista, quam in hoc adorabili SS. Sacramenti mysterio, ubi Deus omni ex parte remanet absconditus. Cum carnem assumeret, divinitatem suam abscondit æternum Verbum, et homo in terris comparuit; sed in hoc Sacramento suam quoque humanitatem abscondit Jesus, et, ut S. Bernardus loquitur, *latet divinitas, latet humanitas, sola patent viscera caritatis.* Ad hoc tanti tui, dilecte mi Redemptor, in homines amoris spectaculum hæreo attonitus, nec quid dicam reperio. In hoc enim Sacramento, eo tu amoris progrederis, ut majestatem tuam abscondas omnemque tuam gloriam obnubiles, imo ut te ipsa vita tua divina quodammodo exspolies. Et dum in nostris altaribus resides, non aliud, quam homines amandi et tuum in illos amorem palam faciendi, officium peragere videris. Illi vero, quam tibi, magne Fili Dei, gratiam referunt?

---

[1]) Is. 45. 15.

Digitized by Google

O Jesu, fas mihi sit dicere: tu nimio hominum studio teneris, cum te illorum bonum tuo honori videam præponere. Num te latebat, quantis contemptibus amantissimum istud consilium te esset objecturum? Video ego, tuque multo ante vidisti, te a majori hominum parte non adorari, nec qualis es, talem te in hoc Sacramento agnosci. Scio illos ipsos homines eo toties devenisse, ut consecratas Hostias pedibus calcarent, et in terram, in aquam, in ignem projicerent. Nec me latet, vel inter ipsos qui in te credunt, plerosque nihil sibi curæ habere, ut tantas ignominias suis obsequiis repensent. Aut enim in ecclesias ingrediuntur, ut suis irreverentiis tibi amplius displiceant, aut relinquunt te in altaribus solum, lampadibus nonnumquam ac necessariis ornamentis carentem.

O utinam possem, dulcissime Salvator, lacrymis meis atque ipso meo sanguine infausta illa loca eluere, in quibus amor tuus et tuum illud amantissimum cor tot ac tantis affecta fuerunt injuriis! Quod si tanta gratia indignus sum, volo saltem, Domine, mihique propono, sæpe te invisere ea mente, ut majestatem tuam adorem,

Digitized by Google

sicut nunc adoro, atque ita tibi pro despectu, quem ab hominibus in hoc divinissimo Mysterio pateris, satisfaciam. Suscipe, æterne Pater, tenuem hunc honorem, quem in satisfactionem pro injuriis, Filio tuo in Sacramento irrogatis, mortalium miserrimus tibi hodie offert; suscipe illum conjunctim cum infinito illo honore, quem in cruce tibi exhibuit Jesus Christus, et quem tibi quotidie exhibet in Sacramento. O utinam illud efficere possem, Sacramentum facte Jesu, ut omnes homines SS. Sacramenti amore caperentur!

*Oratio jac.:* O amabilissime Jesu, fac cognoscaris, fac ameris.

*Communio spirit.*

## Ad B. V. Mariam.

Quantam fiduciam, Domina mea potentissima, mihi infundi sentio, cum in timoribus de æterna mea salute ad te confugio, cum cogito te, Mater mea, tum ita locupletem esse gratiis, ut a S. Joanne Damasceno vocere: *Pelagus gratiarum,* a S. Bonaventura: *Congregatio gratiarum,* a S. Ephrem: *Fons gratiæ et totius consolationis,* et a S. Bernardo: *Plenitudo omnis boni*; tum ita pronam ad

benefaciendum, ut te offensam reputes ab iis omnibus, qui nullas a te gratias petant. Etenim, sicut attestatur S. Bonaventura, *in te, Domina, peccant, qui te non rogant.* O ditissima, sapientissima et clementissima Regina, non me latet, melius te quam me cognoscere necessitates animæ meæ, et magis me a te amari, quam ego te amare possim. Audi igitur, quam a te hodie gratiam petam? Illam mihi obtine, quam noscis animæ meæ magis esse profuturam. Hanc a Deo mihi exora, et explebis omnia mea desideria.

*Oratio jac.:* Dominē, da mihi illam gratiam, quam pro me postulat Maria.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XXV.

(Jesus, semper obediens sacerdotibus.)

Laudat obedientiam Jesu Christi S. Paulus, dum illum Patri æterno ad mortem usque obedivisse prædicat: *Factus est obediens usque ad mortem.*[1]) At hoc in Sacramento, plus ultra progressus est, nec æterno tantum Patri, sed etiam homini voluit obe-

[1]) Phil. 2. 8.

dire; nec solum usque ad mortem, sed quamdiu mundus iste perstabit, ita quidem ut, dici queat factus obediens usque ad consummationem sæculi. Ille, ille Rex cœli, de cœlo ad hominis jussum in terram descendit, et in altaribus deinde non nisi ad obediendum homini commorari videtur. *Ego autem non contradico.*[1]) Adstat ibi omni carens motu: permittit se poni ubi ponant, sive in ostensoriis expositis, sive in clausis tabernaculis; sinit se portari, quocumque portetur, per domos, per vias; sinit se dari in communione, cuicumque porrigatur, sive justus ille est, sive peccator. Dum viveret his in terris, Mariæ et Josepho obedivisse eum perhibet S. Lucas; at hoc in Sacramento tot obedit creaturis, quot sunt sacerdotes in terris: *Ego autem non contradico.* Patere, ut tecum hodie loquar, o amantissimum cor Jesu, unde cúm omnia, tum potissimum hoc amoris Sacramentum profluxit. Vellem ego tantum tibi exhibere gloriæ atque honoris, quantum tu in ecclesiis sacramentali tua præsentia æterno Patri exhibes. Scio te hoc in altari,

[1]) Is. 50. 5.

Digitized by Google

eodem in me flagrare amore, quo flagrabas, cum divinam vitam tuam, e cruce pendens, summas inter acerbitates in sacrificium offerres. Illustra, o Cor divinum, te ut cognoscat, quisquis te non cognoscit. Libera aut certe subleva illas in Purgatorio mœrentes animas, quæ tuæ jam sponsæ sunt in æternum. Ego te adoro, ago tibi gratias, et amo te cum omnibus animabus, quæ te in cœlis modo amant et in terris. O Cor mundissimum, munda cor meum, exuendo illud ab omni in creaturas affectu, et tuo sancto amore illud impleto. Posside, o Cor dulcissimum, totum cor meum, ita ut in futurum totum sit tuum, possitque semper dicere: *Quis me separabit a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu.*[1]) Scribe, Cor sanctissimum, in corde meo amara illa, quæ mei causa tam amanter tot annos his in terris pertulisti, opprobria ut, illa ego intuens, ardenter concupiscam, aut certe patienter tui causa perferam in posterum omnes hujus vitæ molestias. Cor Jesu humillimum, admitte me in partem humilitatis tuæ. Cor mansuetissimum,

[1]) Rom. 8. 39.

Digitized by Google

communica mecum mansuetudinem tuam. Tolle quidquid meo in corde tibi displicet. Ad te illud totum converte; nihil ut velit, nihil ut desideret, nisi id unum, quod tibi gratum est. Fac in summa, ut solum ad obediendum tibi, solum ad amandum te, solum ad oblectandum te vivam. Nosco me tibi nimis multum debere, nimis me tibi esse obligatum: parum est, me totum pro te destrui atque consumi.

*Oratio jac.:* O Cor Jesu, tu es unicus cordis mei Dominus.

*Communio spirit.*

## Ad B. V. Mariam.

Dicit S. Bernardus, Mariam esse cœlestem illam arcam, in quam si tempestive confugerimus, ab æternæ damnationis naufragio certe præservabimur: *Arca, in qua naufragium evadimus.* Erat figura Mariæ arca, quam ingressus est Noë, cum naufragium faceret universa terra. At Maria est arca amplior, solidior, aditu facilior, et, ut ait Hesychius: *arca Noë largior.* In hanc pauci homines et pauca animalia aditum habuérunt, et ex mortis periculo evaserunt. Sed ista nostra Sospi-

Digitized by Google

tatrix, cunctos qui sub suæ tutelæ alas confugiunt benigne recipit ac certissime salvos facit. Miseros nos, si Mariam non haberemus. At quam multi, Regina mea, pereunt! Eccur? quia ad te non confugiunt. Ecquis unquam periret, si ad te confugeret?

*Oratio jac.:* Fac, Maria sanctissima, ut ad te omnes confugiamus semper.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XXVI.

(Jesus, nostrum gaudium.)

*Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.*[1]) Quanto, Deus! gaudio deberemus nos homines affici, quam lætas spes et quam pios fovere affectus, cum sciamus, media in patria nostra, in ecclesiis nostris, prope domos nostras habitare et vivere in SS. Sacramento Sanctum Sanctorum, Deum verum! illum, qui in Paradiso sua præsentia cœlicolas facit beatos! illum, qui amor ipse est! *Amorem,* ait D. Bernardus, *non tam habet, quam ipse est.* Hoc enim Sacramentum

---

¹) Is. 12. 6.

non modo sacramentum amoris est, sed est amor ipse, ipse Deus, qui ob immensum suum erga suas creaturas amorem, vocatur et est ipsissimus amor, *Deus caritas est.* At ego te, mi Jesu Sacramentum facte, querentem audio: *hospes eram et non collegistis me.* Venisse te, ut in nostrum commodum apud nos in terris hospitarere, nec a nobis receptum esse. Verum, Domine, verum dicis; et ego ipse unus sum ex ingratis illis, qui te solum reliqui, nec te vel salutandi gratia conveni. Castiga me sicut tibi placuerit, non tamen eo, quo merui, modo, ut me nempe tua præsentia destituas; volo profecto emendare rudes hos mores, illamque, qua in te usus sum, exuere rusticitatem. Volo deinceps te frequenter convenire, non solum ut te salutem, sed etiam ut, quam diutissime potuero, colloquia tecum seram. O Salvator piissime, fac ut tibi sim fidelis, et alios meo exemplo ad familiare tuum in SS. Sacramento colloquium inducam. Audio, æternum Patrem tibi dicentem: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.*[1])

[1]) Matth. 3. 17.

Ergo Deus suas in te delicias invenit; et ego, terræ vermiculus, in commorando tecum hac in valle lacrymarum, nullum oblectamentum invenirem? O Ignis consumens, destrue in me universos erga res creatas affectus, quoniam illæ solæ infidelem me facere et a te amovere queunt. Si vis, potes: *Domine si vis, potes me mundare.* Post tot mihi concessas gratias, concede mihi et hanc alteram: expelle animo meo amores illos omnes, qui ad te non tendunt. Ecce tibi me totum dono, ego omnem, quæ mihi superest, vitam sanctissimo Sacramento hodie dedico. Tu, Sacramentum facte Jesu, debes esse meum refugium meusque amor, in toto vitæ meæ cursu, et in mortis articulo, cum venies, ut mihi Viaticum sis, meque ad regnum beatum traducas. Amen. Ita spero, ita sit.

*Oratio jac.:* Quando, mi Jesu, formosam tuam faciem intuebor?

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

In te, Mater nostra sanctissima, omnibus malis remedium reperimus; in te reperimus nostræ debilitatis liberationem,

Digitized by Google

cum te S. Germanus *potentiam debilitatis nostræ* appellet; in te reperimus januam, qua ex peccati servitute excedimus, cum a S. Bonaventura *porta libertatis* vocere; *in te* invenitur, ut idem B. Doctor asserit, *quies tuta hominum*; in te miseræ vitæ nostræ levamen: *solatium peregrinationis nostræ*, ut S. Laurentius Justinianus inquit; in te denique gratia divina, imo ipse Deus, quippe quæ a S. Bonaventura appelleris *thronus gratiæ Dei;* et a Proclo *pons, per quem Deus ad homines descendit.* Pons fortunatus, per quem Deus, procul a nobis ob nostras culpas remotus, ad nos cum gratia sua revertitur, suumque in nostris mentibus domicilium collocat.

*Oratio jac.:* Tu mea fortitudo es, Maria, tu liberatio, pax et salus mea.

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XXVII.

(Jesus, in amando mirabilis.)

In officio SS. Sacramenti sic canit S. Ecclesia: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Ethnici, cum amabilia opera Dei nostri inaudirent, quam bonus

Digitized by Google

est, exclamabant, Christianorum Deus! Et re quidem vera, quamquam ad suum quisque libitum Deos sibi ethnici fingebant, percurre tamen eorum historias, et videbis neminem, in tot fabulis totque diis quos excogitârant, eo pervenisse, ut Deum sibi hominum tam amantem fingeret, quam est verus ille noster Deus, qui, ut amorem, quo suos adoratores diligit, patefaceret, eosque suis gratiis ditaret, tale amoris prodigium edidit ut, socius noster effectus, diu noctuque in nostris altaribus absconditus remanere voluerit, ne uno quidem temporis momento a nobis separari posse visus. *Memoriam fecit mirabilium suorum.*[1]) Voluisti igitur, dulcissime Jesu, miraculorum maximum patrare, ut immensum illud tuum, nobiscum permanendi desiderium expleres. Quî vero fit, ut homines præsentiam tuam vitent? Quî fit, ut tam longum temporis spatium procul a te transigant, aut adeo raro ad te salutandum veniant? Et si per horæ quadrantem tibi adstant, breve hoc temporis spatium, præ tædio quo languescunt, eis integrum sæcu-

[1]) Ps. 110. 4.

lum videtur. O patientia Jesu mei, quanta es! Sane intelligo, mi Domine, grandis est, quia grandis est tuus erga homines amor; et ille est, qui te perpetuo inter tot ingratos detinet.

O mi Deus, qui, cum in cæteris perfectionibus, tum etiam in amando infinitus es, ne sinas, precor, me deinceps in horum ingratorum numero, sicut ante, inveniri. Concede mihi amorem et tuo congruum merito et tuis in me beneficiis parem. Tædio ego quoque olim in tua præsentia afficiebar, quia te non amabam, aut nimis parum amabam; at, si adjuvante te, eo semel pervenero, ut te multum amem, tum profecto nullo amplius afficiar tædio, licet dies et noctes ad tuos, o Sacramentum facte, pedes insumam. Offero tibi, Pater æterne, ipsum Filium tuum; accipe eum pro me, et propter illius merita infunde mihi amorem SS. Sacramenti tam pium ac fervidum, ut semper ad aliquam ædem sacram, ubi ille in Sacramento moratur, me vertam, de illo jugiter cogitem, et sitienter tempus illum conveniendi ac cum illo colloquendi concupiscam.

Digitized by Google

*Oratio jac.:* Mi Deus, da mihi, Jesu causa, magnum SS. Sacramenti amorem.

*Communio spirit.*

## Ad B. V. Mariam.

Maria est turris illa Davidica, de qua Spiritus sanctus sic in sacris Canticis loquitur: *Ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium;* eorum scilicet bono, qui ad eam sese recipiunt. Es igitur, o Maria, ut te S. Ignatius martyr appellat, *propugnaculum munitissimum in bello versantibus.* Quam acres continenter mihi sustinendæ sunt impugnationes ab hostibus meis, qui nihil intentatum relinquunt, ut divina gratia, nec non tuo præsidio, carissima mea Domina, me exspolient. Tu vero es propugnaculum meum. Tu non recusas pugnare pro illis qui tibi confidunt, nominata idcirco a S. Ephrem *propugnatrix confidentium in te.* Tu igitur defende me et pugna pro me, qui tantopere in te confido, et omnem meam spem in te collocatam habeo.

*Oratio jac.:* O Maria, Maria, in nomine tuò sunt arma mea.

*Sequitur Oratio solita.*



Digitized by Google

## Salutatio XXVIII.

(Jesus, omnium gratiarum pignus.)

Quum proprium suum Filium nobis donaverit Deus, ut S. Paulus loquitur, quod bonum, ne iisdem nobis ipse recuset, timebimus? *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[1]) Scimus, æternum Patrem omnia sua Jesu Christo dedisse: *Omnia dedit ei Pater in manus.*[2]) Gratias igitur semper agamus bonitati, misericordiæ, liberalitati amantissimi Dei nostri, qui, donando nobis Jesum in altaris Sacramento, omni bono omnique gratia nos ditatos voluit: *In omnibus divites facti estis in illo . . . ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.*[3])

In hac igitur cogitatione immorari mihi fas est, te Salvator mundi, te, Verbum caro factum, meum esse et quidem totum meum, si te velim. At num ego pariter dicere possum esse me, sicut tu desideras, totum tuum? Ah! obsiste, Domine, ne tanta amplius in mundo compareat ordinis perturbatio nec tam fœdum ingrati animi spectaculum, ut ego nempe

---

[1]) Rom. 8. 32. — [2]) Jo. 13. 2. — [3]) I. Cor. 1. 5.

nolim esse tuus, licet tu id desideres, dum tu vis esse totus noster, quotiescunque te desideramus. O fac, quæso, ne tale quid amplius accidat. Si præterito tempore accidit, non accidat amplius futuro. Tibi ego me hodie, certus propositi, consecro: dedico tibi in tempus et æternitatem, vitam meam, voluntatem meam, meas cogitationes, actus meos measque perpessiones. Ecce me totum: uti hostia tibi sacrata, creatis omnibus renuntio, et tibi me totum offero. Consumito me flammis divini amoris tui. Prorsus nolo, ullam amplius cordis mei partem creaturæ possideant. Significationes illius tui erga me amoris, quo tunc etiam me prosecutus es, cum te non amarem, indubiam spem præbent fore ut nunc, cum te amo, cum ex amore me tibi dono, a te recipiar. Offero tibi hodie, Pater æterne, omnes virtutes, actus et affectus e corde dilecti Filii tui Jesu profectos. Illos accipe pro me, et per ejus merita, quæ, quoniam ea mihi donavit, tota mea sunt, concede mihi illas, quas mihi Jesus exorat, gratias.

Per hæc eadem merita rependo tibi gratias pro tot in me collatis beneficiis. Per ea reddo tibi quidquid debeo pro pec-

Digitized by Google

catis meis. Per ea omnem gratiam, veniam, perseverantiam, et præprimis summum donum puri amoris tui, me impetraturum spero. Video sane, me illum esse qui quominus hæc fiant, præpediam; sed et huic malo remedium affer: oro illud per nomen Jesu Christi, cujus hæc est pollicitatio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*[1]) Ergo non potes id mihi negare; nolo quidquam aliud, Domine, nisi amare te, nisi totum me tibi donare, atque ita vivere, ut ingrati illius animi, quo hucusque in te fui, vitium, omnino exuam. Amo te, mi Deus; amo te, Bonitas infinita; amo te, mi amor, mea beatitudo, supremum meum bonum, mea vita, mea omnia.

*Oratio jac.:* Mi Jesu, mea omnia, tu me vis, et ego te volo.

*Communio spirit.*

## Ad B. V. Mariam.

Quantum me sentio relevari miseriis meis, et quanto in meis ærumnis solatio demulceri; quanto in meis tentationibus vigore confortor, cum tui,. suavissima

---

[1]) Jo. 16. 23.

ac sanctissima Mater, Maria, recordor teque mihi in auxilium advoco! Ita rectissime, vos o Sancti, vocatis Dominam meam: *portum vexatorum*, ut D. Ephrem; *restaurationem calamitatum, solatium miserorum,* ut S. Bonaventura; *requiem gemituum nostrorum* ut S. Germanus. Consolare me, Maria, Mater mea; ego enim plenum peccatis me video et circumsessum ab hostibus, virtute vacuum, frigidum in amore Dei. Consolare me, consolare me; et in hoc tua sit consolatio, ut novam me vitam inire facias, vitam Filio tuo tibique vere acceptam.

*Oratio jac.*: Muta me, Maria, mea Mater, muta me: potes enim.

*Sequitur Oratio solita.*

**Salutatio XXIX.**

(Jesus, exposcens sibi nostra corda.)

*Sto ad ostium et pulso.*[1]) O Pastor amantissime, qui non satis habuisti semel pro ovibus tuis mortem oppetiisse teque in ara crucis obtulisse, sed voluisti præterea in nostris altaribus sub hoc divino Sacra-

---

[1]) *Apoc.* 3. 20.

mento latitare, quo propius nobis, semper adstares ad pulsanda nostrorum cordium ostia, atque ita introitum in ea tibi patefaciendum; utinam scirem hac tua gaudere vicinia, sicut sacra tua Sponsa quæ in Canticis dicebat: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.*[1] — O si amarem te; si vere te, amabilissimum Sacramentum, amarem; desiderarem utique nec diu nec noctu a solii tui gradibus discedere, et ibi prope te consistens, in vicinia divinæ majestatis tuæ, quam sacrarum specierum umbræ obvolvunt, gustarem cœlestes illas delicias illamque felicitatem, qua animæ sanctæ tuique amore captæ ad tuos pedes beantur. Trahe me, obsecro, pulchritudinis tuæ illicio, illisque, quibus in hoc Sacramento totus diffluis, amoris blandimentis: *Trahe me: post te in odorem curremus unguentorum tuorum.*[2] Me si ita traxeris, plane relinquam, mi Salvator, creaturas et omnes terræ voluptates, ut ad te, Sacramentum factum, curram. *Sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.*[3] Quam multos sanctarum virtutum

[1]) Cant. 2. 3. — [2]) Cant. 1. 3. — [3]) Ps. 127. 3.

fructus referunt Deo, ceu plantæ novellæ, felices illæ animæ, quæ cum amore sacra Ciboria circumsistunt! Verumtamen ita nudum et virtute vacuum tibi me sistere verecundor. Præcepisti, ut quisquis altari propinquaret, ne sine aliquo dono id faceret: *non apparebis in conspectu meo vacuus.* [1]) Quid ergo faciam? non amplius te invisam? Non ita; hoc enim tibi displiceret. Veniam, ut sum, pauper; tu vero illis me donis, quæ mihi inesse cupis, adornabis. Video, te ea mente in hoc Sacramento immorari, ut non solum amantes tui præmiis dones, sed etiam ut pauperes bonis tuis instruas.

Agedum, ab hoc jam die incipe! adoro te, o Rex cordis mei, et vere amator hominum, o Pastor, nimio in oves tuas amore flagrans. Ad hoc amoris tui solium ego hodie accedo, et cum nihil, quod tibi offerre possim, habeam, offero tibi miserabile cor meum, quod volo amori tuo tuoque arbitrio totum consecratum. Hoc corde te amare possum, hoc eodem, quoad potero, amare te volo. Tu igitur illud ad te trahe,

---

[1]) Ex. 23. 15.

Digitized by Google

ac voluntati tuæ ita arcte, conjunge ut lætus hinc in posterum vinculo amoris tui me ligatum prædicare possim, sicut se ligatum prædicabat dilectus tuus Discipulus, dicens: *Ego Paulus vinctus Christi.*[1] Aduna me totum tibi, Domine; fac me mei quoque oblivisci, ut eo aliquando perveniam, ubi rebus omnibus ac me ipso feliciter spoliatus, te solum et perpetuum tui amorem inveniam. Amo te, mi Domine Sacramentum facte; tibi me ligo, arcte me tecum conjungo; sinito te a me inveniri, a me amari, nec a me unquam deinceps discedito.

*Oratio jac.*: Mi Jesu, tu unus mihi satis es!

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

Vocatur Maria a S. Bernardo *via regia Salvatoris*, id est via tuta, qua ad Salvatorem et salutem pervenitur. Si ergo, quod idem Sanctus ait, verum est, o Regina, te esse *vehiculum ad Deum animarum nostrarum*: ne, quæso, exspectes donec ego

---

[1]) Eph. 3. 1.

Digitized by Google

ad Deum me conferam; sed tu ipsa brachiis tuis me ad eum porta. Porta me, porta me, et resistentem vi asporta; constringe quam arctissime poteris, blandis caritatis tuæ illiciis, animam et voluntatem meam, ita ut ipsæ, relictis omnibus creaturis, Deum solum divinamque ejus voluntatem requirant. Ostende cœlitibus, quanta tua sit potentia. Ostende post tot alia a te patrata prodigia, et hoc alterum misericordiæ tuæ miraculum, ut me nempe, qui totus a Deo vixi sejunctus, totum ad Deum attrahas.

*Oratio jac.*: Tu, o Maria, potes me efficere sanctum; a te hoc ego spero.

*Sequitur Oratio solita.*

**Salutatio XXX.**

**(Jesus abscondens suam gloriam, ut ingerat fiduciam.)**

*Cur faciem tuam abscondis?*[1]) Timebat quidem Job, cum Dei faciem sibi abscondi videret; nos vero, cum Jesum Christum in SS. Sacramento velantem suam Majestatem conspicimus, nihil inde timoris, sed contra

[1]) Job. 13. 24.

plus fiduciæ et amoris concipere debemus; quandoquidem ob hoc ipsum, ut nostram fiduciam augeret et suum amplius amorem patefaceret, se nostris in altaribus collocavit sub panis specie absconditum: *Dum Deus*, ait Novarinus, *in hoc sacramento faciem suam abscondit*, *amorem suum detegit.* Ecquis unquam ausus fuisset ad magnum hunc cœlorum regem fidenter accedere, suos ei expromere affectus ac desideria, si ipse splendoribus gloriæ suæ circumfusus in altari compareret?

O mi Jesu, quam pia et amoris plena fuit hæc tua SS. Sacramenti inventio! Voluisti sub specie panis te occultare ad tibi hominum conciliandum amorem et ad dandum ad te aditum terricolis, qui tui desiderio tenerentur. Optimo igitur jure Propheta adhortatus est homines, ut alta voce, per totum terrarum orbem annuntiarent mirum Dei nostri erga nos amorem, omnibusque notum facerent, quousque hujus adeo boni Dei nostri inventa pertingant: *Notas facite in populis adinventiones ejus.*[1]) O amantissimum Cor Jesu mei,

[1]) Is. 12. 4.

Digitized by Google

dignum quod omnium creaturarum corda possideas! O Cor amoris purissimi flammis omnino ac semper plenum! O ignis consumens, consume me totum et infunde mihi novam vitam amoris et gratiæ. Conjunge me tecum tam arcte, ut a te nullo unquam tempore disjungar. O Cor apertum, ut perfugium animarum esses, recipe me; O Cor tanto dolore ex hominum peccatis in ara crucis confixum, da mihi verum peccatorum meorum dolorem. Scio te, hoc in Sacramento eadem retinere sensa, quæ moriens in Calvariæ monte mihi fovisti, teque idcirco magno me tecum conjungendi desiderio teneri. Qui igitur fieri poterit, ut ego diutius tuæ voluntati tuoque desiderio obsistam? O mihi carissime Jesu, per tua merita feri me, precor, liga me, stringe me, et fac me tuo cordi plane concordem.

Statuo firmiter hodie mecum, auxiliante gratia tua, in omni re tibi quantum potero, placere, calcando pedibus omnem ad humana judicia respectum, omnem propriæ voluntatis tum propensionem, tum alienationem, omnes animi mei appetitiones, omnia denique, quæ meis quidem com-

Digitized by Google

modis inservire possent, quæ vero mihi forent impedimento quominus tibi omni ex parte gratus exsisterem. Tu vero, Domine, concede mihi, ut hæc omnia opere compleam et fac, ut hinc in posterum actus mei, sensus mei, affectus mei, nulla in re, cum iis, quæ tu volueris, discordent. O amor Dei mei, pelle omnes alios amores e corde meo. Maria, spes mea, tu omnia potes apud Deum: hanc mihi obtine gratiam, ut usque ad mortem fideliter in puro Jesu Christi amore perseverem. Amen, Amen. Sic spero, sic fiat in tempore et in æternitate.

*Oratio jac.*: Quis me separabit a caritate Christi?

*Communio spirit.*

### Ad B. V. Mariam.

Negat S. Bernardus, Mariæ erga nos caritatem posse hac præsenti vel majorem esse vel potentiorem; ita quidem, ut pia Mater semper abundare dicenda sit et suæ in nos commiserationis affectu, et sui succursus potentia. *Potentissima et piissima caritas Dei matris et affectu compatiendi et subveniendi abundat effectu; æque locuples in*

Digitized by Google

*utroque.* Ita prorsus, Regina mea sanctissima, locuples es potentia et locuples misericordia: potes et desideras salvum facere unumquemque. Orabo te proinde his devoti Blòsii verbis: *o Domina, me pugnantem protege, me vacillantem confirma.* O Maria, in hac magna mea cum tartareis hostibus pugna, succurre mihi, et cum me vacillantem videris et casurum, tum tuam mihi manum, Domina mea, ocius porrige, et firmius me sustenta! Quantæ mihi, o Deus! ad mortem usque superandæ sunt tentationes! Ne, precor, sinas, spes mea, refugium meum, virtus mea, Maria, me unquam divina gratia excidere, dum ego mihi propono ad te semper et cito recurrere, dicendo:

*Oratio jac.*: Adjuva me Maria, o Maria adjuva me!

*Sequitur Oratio solita.*

### Salutatio XXXI.

(Jesus, summa nos benignitate exspectans.)

Quam bellus visu erat blandus ille noster Redemptor eo die quo, fessus de via, totus affabilis et amore plenus, fonti insidebat, exspectans mulierem Samarita-

nam, quam a perditionis via revocaret et salvam faceret! *Jesus ergo sedebat sic supra fontem.*[1] Ita et nunc, singulis ipse diebus blandus inter nos versari videtur, de cœlo in nostra delapsus altaria, velut in totidem gratiarum fontes, exspectans invitansque animas, ut secum, vel ad breve tempus, colloquia misceant, quibus eas ad perfectum sui amorem allectet. Ex omnibus, ubi sub sacramento moratur, altaribus videtur nobis Jesus loqui ac dicere: Quid meam, homines, præsentiam fugitis? Cur non venitis, cur non acceditis ad me, qui tanto vos amore complector, ut semper in hoc humilitatis statu, vestri causa, commorari perseverem. Quid timetis? Nondum judex has in terras veni; sed amore ductus, sub hoc me occului Sacramento, tantum ut benefacerem ac salvum facerem quicumque ad me confugisset: *Non veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.*[2])

Intelligamus igitur, Jesum Christum, sicut est in cœlis *semper vivens ad interpellandum pro nobis,*[3]) ita in Altaris Sacra-

---

[1]) Jo. 4. 6. — [2]) Jo. 12. 47. — [3]) Hebr 7. 25.

mento, noctes continenter ac dies, pium pro nobis advocati munus explere, offerendo se Patri æterno in hostiam, ad impetrandas nobis miserationum ac gratiarum copias. Qua de causa pius ille Kempensis admonet nos ut Jesum, Sacramentum factum, sine ullo castigationis metu, sed libere ac familiariter conveniamus, cum eo locuturi, *sicut solet loqui dilectus ad dilectum, amicus ad amicum.*

Patere igitur, quandoquidem bona tua venia id facere possum, patere occulte mi Rex ac Domine, ut fidenter animum meum tibi aperiam, hisque ad te verbis utar: Mi Jesu, probe nosco quas tibi faciunt injurias homines. Tu illos amas, non amant te illi; tu eis benefacis, illi tibi contemptum rependunt; tu vis vocem tuam eorum auribus insonare, illi aures non præbent; tu gratias offers, illi recusant. Quid vero? Nonne verum est, me quoque cum his ingratis fuisse, ut ita displicerem tibi? Nimis, proh Deus! id verum est. Sed volo ad bonam frugem me recipere, et per omnem reliquam meam vitam, pro viribus in id incumbere, ut pro molestiis, quas



Digitized by Google

tibi intuli, omni quo potero modo, tibi satisfaciam.

Dic, Domine, de me quid velis: omnia sine ulla exceptione perficiam. Fac tua voluntas per sanctam obedientiam mihi innotescat, et spero, quæ tu volueris, opere me esse completurum. Tenaci propositi animo tibi, mi Deus, promitto, nihil me unquam omissurum, quod tibi magis acceptum esse intellexero: perdam licet omnia, consanguineos, amicos, bonam famam, valetudinem, vitam denique ipsam. Perdantur omnia, et fiat illud quod tibi gratum est: felix jactura, qua omnia perduntur atque in hoc impenduntur, ut cordis tui, Deus animæ meæ, desideria expleantur! Amo te, Bonum summum, præ omni alio adamandum bono; et in amando te consocio exile cor meum cum omnibus, quæ te amant, cordibus; consocio cum cordibus Seraphicorum spirituum, consocio cum corde Virginis Deiparæ, consocio denique cum ipso corde Jesu. Amo te ex me toto, et te solum, in perpetuum, amare volo.

*Oratio jac.:* Mi Deus, mi Deus! tuus sum totus, tu meus.

*Communio spirit.*

Digitized by Google

## Ad B. V. Mariam.

*Adstat*, inquit B. Amadeus, *beatissima Virgo vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis.* Deinde subdit: *videt enim nostra discrimina, nostrique clemens ac dulcis Domina materno affectu miseretur.* Ergo, Advocata ac Mater mea amantissima, tu præsentes nunc vides animæ meæ miserias, vides et pericula, ac pro me precaris. Perge, perge, nec desine precari, donec me salvum in cœlis, ad persolvendas tibi grates, conspicias. *Tu post Unigenitum tuum certa fidelium salus.* His verbis declarat mihi pius Blosius, te, o Maria dulcissima, post Jesum esse tutam salutem eorum omnium, qui tibi fideliter serviant. Tu igitur hanc mihi gratiam, quam suppliciter a te peto, impetra, gratiam nempe qua usque ad mortem tibi fideliter serviam, ut ita post obitum, tibi benedicturus, cœlum intrare possim, certus me non amplius a te separatum iri, donec Deus erit Deus.

*Oratio jac.:* Maria, mater mea, fac sine fine sim tuus.

*Sequitur Oratio solita.*



Digitized by Google

O Deus cunctis melior! meus jam,
Me tibi totum voveo sacroque,
Ulla nec contra, nisi temet ipsum
Præmia posco.

*Quid mihi est in cælo, et quid a te volui super terram? Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum.* [1])

## * Piæ acclamationes
### ad compensandas blasphemias.

Sit Deus benedictus.
Benedictum sanctum nomen ejus.
Benedictus Jesus Christus, verus Deus et homo.
Benedictum sit nomen Jesu.
Benedictum Cor ejus sacratissimum.
Benedictus Jesus Christus in sanctissimo Altaris Sacramento.
Benedicta sit augusta Dei genitrix, Maria sanctissima.
Benedicta sancta et immaculata ejus conceptio.

---

[1]) Ps. 72. 25.

Digitized by Google

Benedictum nomen Mariæ, Virginis et Matris.
Benedictus Deus in suis Angelis et Sanctis.

Indulgentia annorum duorum, quoties recitantur, et plenaria semel in mense, si quotidie recitantur. Pius VII. 23. Juli 1801, Pius IX. 22. Martii 1847, Leo XIII. 2. Febr. 1897.

---

**S. Alphonsi carmen in honorem Jesu reconditi in tabernaculo.**

Flores beati, qui vigil custodia,
Noctes diesque statis ante regium
Altare Jesu; perstaturi, dum licet
Vitam per auras suaveolentem fundere:
Quam me juvaret his in almis ædibus
Et excubare semper, et suspiria
Halare sacra, donec ipse spiritum,
Altare complexus, supremum redderem!

Faces beatæ, quæ litatis ignea
Vestro meoque Conditori munera:
O quam liberet et mihi fulgoribus
Micare vestris, ignibusque tamdiu
Ardere, dum mei medullæ corporis
Amoris æstu funditus liquescerent!
Quæ digna cœlis experirer gaudia,
Ignita me si permearet caritas!

Digitized by Google

Fortuna sed tibi renidet maxima,
Aurata Pyxis, cella Jesu regia!
Quæ grande Numen, comprehensum nemini,
Sinu pusillo, gloriosa, contines.
Si Magnus ille, quem recondis hospitem,
Die vel uno cederetur pectori
Meo gerendus; pectus, ante frigidum,
Ardere tandem, viva lampas, disceret.

At nonne me beatiorem Pyxide,
Sertisque florum cereisque prædicem,
Cui Christus idem, Panis umbram præferens,
Se tradit omnem, regiumque ferculum
(Miranda res!) sui ministrat corporis?
Ah! cur, opimi particeps convivii,
Indigna non aversor horrens pabula,
Contentus Escâ, quâ beantur Cœlites?

I, mens! et, alis explicatis, advola
Quo te suo nitore Christus allicit.
Huc prompta te Fides Amorque fervidus
Impellet ultra. Jamque Jesu proxima,
Sitire te dices, quod ille porrigit,
Cœleste Manna: quo refecta, protinus
Utrisque complectêris ulnis Hospitem,
Amabilemque diliges medullitus.

Digitized by Google

## 8. Preces Vespertinæ.

*Ant.* Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

### Oremus.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de Ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

Ave Maria etc.

Age gratias Deo pro omnibus in te collatis gratiis et beneficiis, et speciatim pro eo quod Jesum Christum tibi dedit in Salvatorem et Beatam Virginem in Matrem, teque sacerdotali dignitate insignivit.

*Ter* Gloria Patri.

Dein examina conscientiam tuam et perpende omnes a te hodie admissas culpas, Dominumque sincero corde precare, ut illas tibi condonet.

Peracto examine, recita actus christianos et cæteras, quæ sequuntur, preces.

### Actus christiani.

Mi Deus, Veritas fallere et falli nescia, credo quidquid sancta Ecclesia mihi

Digitized by Google

credendum proponit, quia tu ei illud revelasti. Credo, te esse Deum meum, Creatorem rerum omnium; credo te æternum remunerare justos Paradiso; punire autem peccatores inferno. Credo te esse unum in essentia, et trinum in personis, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Credo Incarnationem, Passionem et Mortem Jesu Christi. Credo demum quodcumque credit sancta Mater Ecclesia. Gratias ago tibi, quod me Christianum fieri volueris; et in hac sancta Fide vivere me velle et mori profiteor.

Mi Deus, tuis promissis confisus, quia fidelis, potens et misericors es, spero, per merita Jesu Christi, peccatorum meorum veniam, perseverantiam usque in finem, et beatam Paradisi gloriam.

Mi Deus, quia infinita Bonitas es et infinito dignus amore, amo te ex toto corde meo super omnia. Toto corde doleo de omnibus peccatis meis, eaque mihi displicent quia offendi te, Bonitatem infinitam. Tua adjutus gratia, quam ut nunc et semper mihi concedas oro, mori potius quam tibi in posterum displicere statuo. Insuper mihi propono uti sanctis Sacramentis, in vita et in morte.

Digitized by Google

(Indulg. 7 annorum et 7 quadrag. t. q.; plenaria semel in mense, die arbitrario, si quotidie recitantur. Ind. plen. in articulo mortis. Benedictus PP. XIV. 28. Jan. 1756.)

## Litaniæ Lauretanæ.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater divinæ gratiæ, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castissima, ora.
Mater inviolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Salvatoris, ora.

Digitized by Google

Virgo prudentissima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum Justitiæ, ora.
Sedes sapientiæ, ora.
Causa nostræ lætitiæ, ora.
Vas spirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas insigne devotionis, ora.
Rosa mystica, ora.
Turris davidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Janua cœli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Christianorum, ora.
Regina Angelorum. ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apostolorum, ora.

Digitized by Google

Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.
Regina sine labe originali concepta, ora.
Regina sacratissimi Rosarii, ora.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

(Indulgentia 300 dierum, t. q. Pius PP. VII. 30. Septembris 1817.)

*Ant.* Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti

Digitized by Google

liberari tristitia et æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Ad obtinendam gratiam perseverantiæ.

Salve Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Hevæ. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende; o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Defende quæsumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. — Amen.

* Oratio
ad petendam gratiam bonæ mortis.

Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem quam sustinuit nobilissima ani-

Digitized by Google

ma tua, quando egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animæ meæ peccatricis, quando egredietur de corpore meo. Amen.

*** Oratio pro animam agentibus.**

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolores Matris tuæ immaculatæ, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

Cor Jesu, in agonia factum, miserere morientium.

Indulg. 100 dierum t. q. Pius PP. IX. 12. Febr. 1850.)

*Postremo, commenda te Deo ac Deiparæ Virgini, per sequentem orationem:*

Domine Deus, gratias ago tibi quod me hac die servasti, et precor te ut me hac etiam nocte incolumem servare, ab omnique malo protegere digneris. Volo quietem nunc sumere, ut tibi complaceam; quoties autem respirabo, toties renovare intendo actus amoris et laudis, actusque mei famulatus, quemadmodum Sancti et electi in cœlis eosdem hos actus eliciunt.

Digitized by Google

Mater mea, Maria, benedic mihi, et recipe me sub tegmen tutelæ tuæ; et tu quoque, Angele sancte, qui mei custodiæ deputatus es, et vos omnes, sancti Patroni mei, intercedite pro me. Amen.

Ter *Ave Maria* in honorem puritatis B. Virg. Mariæ, ad petendam gratiam sanctæ puritatis.

Benedicta sit sancta, immaculata et purissima B. Virginis Mariæ Dei Genitricis Conceptio!

(Indulg. 300 dierum t. q. Leo PP. XIII. 5. Sept. 1878.)




Digitized by Google




# PARS TERTIA.

## Exercitia pietatis pro opportunitate temporis peragenda.

## IN HONOREM SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

*** Corona precatoria.**

(Auctore Ven. Januario M. Sarnelli.)

Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri etc.

Laus sit tibi, sanctissima Trinitas atque indivisa Dei mei Unitas! Benedico tibi, o beata Trinitas, adoro te et ago tibi gratias pro universis tuis in me miserationibus.

*Deinde ter:* Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere mei. *Pater, Ave, Gloria. Postea:*

Digitized by Google

Trinitas Dei sanctissima, sanctifica me.
Unitas Dei purissima, purifica me.
Potentia Patris, conforta me.
Sapientia Filii, illumina me.
Caritas Spiritus Sancti, accende me.
O bone Deus, exaudi me.
Infinitate tua, annihila me.
Immensitate tua, absorbe me.
Bonitate tua, trahe me.
Pulchritudine tua, rape me.
Da veram fidem, ut credam in te.
Da certam spem, ut sperem in te.
Da perfectam caritatem, ut amem te.
Noverim me, noverim te.
Ut cum Jesu et Maria láudem te.
In sæcula sæculorum. Amen.

Omnipotens æterne Pater, suppliciter te per amorem Jesu Christi exoro, ut veram mihi fidem concedas, fidem vivam, fidem firmam, perfectam fidem, fidem summam, fidem nulli titubantiæ obnoxiam, fidem efficacem, quæ fructus æternæ vitæ, ad majorem tuam gloriam animæque meæ utilitatem, assidue gignat. Oro etiam ut hæc fides nunquam in me decrescat, nec ex tædio desolationum, nec ex persecutionibus hominum, nec ex dæmonum tenta-

Digitized by Google

tionibus. Stet ipsa semper, qualis scopulus inter frementes undas, immobilis et firma, ita ut cum Apostolo jugiter in hanc vocem erumpam: *scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare.*[1]) Dignare etiam, æterne Pater, per illum, quo tuam gloriam, et teipsum animasque diligis, amorem, eamdem fidem omnibus hominibus concedere. A te, qui es Deus altissimus, pretiosam hanc gratiam suppliciter exoro.

Deus in adjutorium etc. *Omnia ut supra, usque ad orationem* Omnipotens æterne Pater.

Sanctissime Dei Fili, qui mei causa homo factus es, per amorem illum quo æternum tuum Genitorem amas, rogo te, ut magnam mihi spem concedas, spem veram, spem placidam, qualem filius reponit in patre; spem plenam, quæ me faciat semper, cum omnimoda securitate, in tuis promissis, in tua misericordia et in tui sanguinis meritis conquiescere. Sit autem hæc spes adeo firma, ut nunquam in meo corde vacillet, et adeo efficax ut, inter

[1]) II. Tim. 1. 12.



Digitized by Google

omnes angorum ariditatumque fluctus, et inter sævissimas laborum ærumnarumque procellas, in hanc ego semper vocem prorumpam: *etiam si me occiderit, in ipso sperabo.*[1]) Hanc tu mihi spem concede, et fac ut, ea innixus, omnes, quas efflagitabo gratias, et mihi et proximis consequar, vitam meam ad majorem gloriam tuam impendam, et sancta demum ac pretiosa morte in conspectu tuo moriar.

Deus in adjutorium etc. *Omnia ut supra, usque ad orationem* Omnipotens æterne Pater.

Spiritus sancte, prædulcis Deus, infinita Caritas, Amor Patris ac Filii, accende in me illum amorem, qui sit te dignus, et qui me reddat tui vere amantem, tui, inquam, quem ego, quantum mereris et quantum a mortali pectore amari potes, tantum amare desidero. Sit autem hic meus in te amor efficax, flagrans, fervens, perseverans, ita ut inter densas quoque tenebras, inter acerbas calamitates, inter luctuosas derelictiones et procellosas tempestates, te diligere pergam, nulla alia causa ad hanc

---

[1]) Job. 13. 15.

Digitized by Google

dilectionem permotus, nisi quia tu Deus es, ideoque omni dilectione dignissimus: *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.*[1] Nec remaneat hic meus amor, inter angustos tantum cordis mei terminos, conclusus: exeat foras et tanquam flamma discurrens ita meos proximos pervadat, ut suo pariter igne omnium corda succendat, aut certe succendere conetur.

## Pii in SS. Trinitatem affectus.

Credo in te, o Deus, sacrosancta Trinitas, in te, Veritas fallere et falli nescia; spero in te, o infinita Misericordia; amo te, o summa Bonitas; adoro te humillime, admiscens meam adorationem adorationi totius curiæ cœlestis, et precor, ut me, Jesu Christi causa, usque ad obitum plene triumphare facias de tuæ gloriæ animæque meæ hostibus, id est, de mundo, de dæmone et de carne. Sub tui præsidii alas me recipio, et in hoc asylo subduco me hostibus meis, quos pejus quam quælibet abominanda abominor, ob amorem nempe

[1]) Ps. 53. 8.



Digitized by Google

tui, qui es infinita Bonitas, quam ego super omnia diligo. Redde me tui adeo amantem, ut quoties respirabo, toties de tua promovenda gloria cogitem; ut, in omnibus et singulis actibus meis, hanc tuam gloriam revera amplificem; ut sanctæ Matris Ecclesiæ utilitati consulam, et tuum honorem tuamque Fidem, vel ipsius mei sanguinis, effusione propugnem; ut incenso semper animo saluti allaborem animarum, quas tu ad imaginem tuam condidisti, et quas passione et morte sua Christus Dominus redemit.

Sanctissima Trinitas, altissime Deus, genibus ante conspectum tuum provolutus, in mei nihili abyssum me ipse demitto; adoro et glorifico te per Jesum Christum; adoro Majestatem tuam infinitam, Providentiam tuam, Sapientiam, Omnipotentiam, Bonitatem, et cæteras omnes, quæ tibi insunt, perfectiones, intendens animo, per hunc adorationis actum, tibi pro omnibus, tum meis tum totius humani generis, peccatis et negligentiis satisfacere.

Sanctissima Trinitas, justissime Deus, ego vilissimus peccator, homo vitiosus ac noxius, exhibeo tibi infinitam illam satis-

Digitized by Google

factionem, quam Christus Jesus tibi pro nobis exsolvit; et per hanc satisfactionem te placare intendo, simulque expiare omnes tibi illatas injurias, et luere pœnas, quæ tum meis tum totius humani generis peccatis debentur.

Sanctissima Trinitas, benignissime Deus, ego vilis creatura, non minus tuæ beneficentiæ donis quam ingrati mei animi reatu tibi obstrictus, ago tibi gratias pro omnibus, quæ in me et in totum genus humanum conferre dignatus es beneficiis, sicut et pro universis beneficiis quæ Mariæ sanctissimæ, sanctis angelis cunctisque cœlitibus unquam concessisti. Ago etiam tibi gratias pro omnibus quibus me, ad meum bonum, hucusque affecisti doloribus ac rebus adversis, et pro omnibus pariter, quæ in futurum mihi elargiturus es, donis et charismatibus. Ut vero meæ gratiarum actiones, tibi placeant, offero tibi infinitas illas gratiarum actiones, quas Christus Jesus tibi persolvit, dum adhuc in terra viveret, et quas in cœlis nunc tibi rependit.

Sanctissima Trinitas, veracissime, benevolentissime et liberalissime Deus, rogo et obsecro te per Jesum Christum, ut

Digitized by Google

mihi omnes, quibus ad sancte vivendum indigeo, gratias benigne concedas. Concede eas, quæso, Unigenito tuo qui, amore mei ductus, eas ad tuum honorem mihi exorat. Si multa sunt, quæ a te peto, infinite plura sibi promeretur Christus Jesus quem, quandoquidem meus est, tibi nunc offero.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ Fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem; quæsumus, ut ejusdem Fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus præstas auditum, pro postulationibus nostris votisque susceptis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas. Per Dominum etc.

Agnoscantur atque ab omnibus amentur Sanctissima Trinitas et Jesus in Altaris

Digitized by Google

sacramento! — Benedicta sit sancta et immaculata conceptio Deiparæ Virginis Mariæ!

Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant Eum omnes fines terræ.

Trisagium angelicum.*

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum: plena est terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto.

(**Indulgentia 100 dierum semel qualibet die, et ter diebus Dominicis necnon Festo SS. Trinitatis ejusque octava. Clemens XIV. 6. Juni 1769. Si autem quotidie recitatur, Indulg. plen. semel in mense, die arbitrario. Clemens XIV. 26. Jun. 1770.**)

## * IN HONOREM SPIRITUS SANCTI.

### I. Hymnus.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita;
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Digitized by Google

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

(Extra tempus Paschale.)

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc et per omne sæculum. Amen.

(Tempore Paschali)

Deo Patri sit gloria
Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

Digitized by Google

### * II. Sequentia.

Veni, Sancte Spiritus,
Et emitte cœlitus
Lucis tuæ radium.

Veni, pater pauperum,
Veni, dator munerum,
Veni, lumen cordium.

Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.

In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo numine,
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.


Digitized by Google

Da tuis fidelibus,
In te confidentibus
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.

(Indulgentia 100 dierum toties quoties, et Dominica Pentecostes ejusque Octava 300 dierum pro *Hymno* vel *Sequentia;* si autem *Hymnus* vel *Sequentia* quotidie recitatur cum intentione orandi pro concordia inter Principes christianos etc. Ind. plen. semel quolibet mense, die arbitrario. Pius VI. 26. Maji 1796.)

## Oratio.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti: quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum . . . in unitate ejusdem Spiritus. . .



Digitized by Google



# 3. IN HONOREM SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI.

## Exercitium Viæ Crucis.

S. Viæ Crucis exercitio adnexæ indulgentiæ, sunt illæ ipsæ, quæ lucrifieri possunt a personaliter visitantibus Hierosolymitanas Viæ Crucis Stationes.

Domine Jesu Christe, tu tam amanter hanc viam ingressus es, ut mortem pro me obires; ego vero multoties eo deveni, ut te contemnerem. Nunc autem ex tota anima mea amo te, et, quia te amo, pœnitet me ex intimo corde quod tibi displicui. Ignosce mihi, et patere ut in hac via me tibi comitem adjungam. Tu, amore mei ductus, pergis ad locum ubi pro me moriturus es, et ego vicissim, tui amore ductus, desidero te comitari, ut una tecum, aman-

Digitized by Google

tissime Redemptor, moriar. O mi Jesu, volo conjunctim tecum et vivere et mori.

### Statio I.

Jesus condemnatur ad mortem.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi. — ℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Considera quomodo Jesus Christus, jam flagellatus et spinis coronatus, injuste tandem a Pilato ad mortem crucis condemnetur. — O adorande Jesu, non Pilatus, sed iniqua mea vita te ad mortem condemnavit. Per meritum laboriosissimi hujus itineris, quod ad Calvariæ montem instituis, precor te, ut me semper in via, qua anima mea in æternitatem tendit, benigne comiteris. Amo te, o Jesu, mi Amor, magis quam meipsum, et ex intimo corde pœnitet me quod tibi displicui. Ne sinas me iterum a te separari. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit. Quod tibi placitum est, hoc idem mihi est acceptum. *Pater. Ave. Gloria.*

Tu, caritatis victima,
Petis, Redemptor, Golgotham;
Tuis inhærens gressibus,
Tecum peropto commori.

Digitized by Google

## Statio II.

Jesus oneratur ligno crucis.

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera quomodo Jesus Christus, portans humeris crucem, fuerit inter eundum, memor tui, offerendo pro te æterno Patri mortem, quam erat obiturus. — Amabilissime Jesu, amplector omnes res adversas, quas mihi usque ad obitum tolerandas præfixisti, et, per durum illum, quem in portanda tua cruce pertulisti, laborem, precor te, ut vires mihi subministres, quibus ego quoque crucem meam, æquo ac patienti animo, portare valeam. Amo te, o Jesu, mi Amor, pœnitet me quod tibi displicui. Ne sinas me iterum separari a te. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit. *Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

## Statio III.

Jesus procumbit primum sub onere crucis.

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera primum hunc Jesu Christi sub cruce lapsum. Habebat carnem ex sæva flagellatione multifarie sauciam, caput redimitum spinarum corona; profuderat in-

Digitized by Google

super cruorem in tanta copia, ut vix pedem præ virium defectione, movere posset. Et quoniam gravi crucis onere premebatur, et immisericorditer a militibus propellebatur, accidit ut pluries inter eundum humi procumberet. — O mi Jesu, non est onus crucis, sed peccatorum meorum pondus, quod tantis te afficit doloribus. Rogo te, per primum hunc tuum lapsum, ut ab omni in peccatum me lapsu tuearis. Amo te, o Jesu, ex toto corde meo; pœnitet me quod tibi displicui. Ne sinas me iterum in peccatum prolabi. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit. — *Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

## Statio IV.

**Jesus fit perdolenti Matri obvius.**

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera qualis fuerit, in hac via, Filii et Matris occursus. Jesus et Maria se mutuo aspexerunt, mutuique eorum aspectus fuerunt totidem sagittæ, quibus amantia eorum pectora transverberabantur. — Amantissime Jesu, per acerbum dolorem, quem in hoc occursu expertus es, redde

me, precor, sanctissimæ Matri tuæ vere devotum. Tu vero, perdolens mea Regina, intercede pro me, et obtine mihi talem cruciatuum Filii tui memoriam, ut mens mea in pia illorum contemplatione perpetuo detineatur. Amo te, o Jesu, mi Amor; pœnitet me quod tibi displicui. Ne sinas me iterum in te peccare. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

### Statio V.

Jesus in bajulanda cruce a Cyrenæo adjuvatur.

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera quomodo Judæi, videntes Jesum ad quemlibet passum animam propemodum præ lassitudine efflantem, et timentes ex altera parte ne, quem crucis supplicio affectum volebant, in via moreretur, compellant Simonem Cyrenæum ad bajulandam crucem post Dominum. — O dulcissime Jesu, nolo, sicut Cyrenæus, repudiare crucem, libenter eam amplector in meque recipio, amplector speciatim quam

Digitized by Google

mihi præfiniisti mortem cum omnibus, quos hæc secum adductura est, doloribus. Conjungo eam cum morte tua, sicque conjunctam eam in sacrificium tibi offero. Tu amore mei mortuus es; volo ego quoque mori amore tui, ea mente ut rem tibi gratam faciam. Tu vero adjuva me tua gratia. Amo te, o Jesu, mi Amor, pœnitet me quod tibi displicui. Ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

## Statio VI.

Jesus Veronicæ sudario abstergitur.

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera quomodo sancta illa femina Veronica, videns Jesum doloribus confectum ejusque vultum sudore ac sanguine madidum, porrigat ei linteolum in quo ipse, abstersa facie, sacram sui imaginem impressam relinquit. — O mi Jesu, formosa erat antea facies tua; verum hac in via non amplius formosa apparet, sed est vulneribus et cruore omnino deformis. Hei mihi! quam formosa quoque erat anima

Digitized by Google

mea, cum gratiam tuam per baptismum recepisset: peccando eam postea deformem reddidi. Tu solus, mi Redemptor, pristinam venustatem ei restituere vales; quod ut facias, per tuæ Passionis meritum te precor. Amo te Jesu, mi Amor; pœnitet me quod tibi displicui; ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu caritatis victima etc.

## Statio VII.

**Jesus procumbit iterum sub onere crucis.**

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera alterum Jesu Christi sub cruce lapsum, quo lapsu perdolenti Domino omnes venerandi capitis et totius corporis plagæ recrudescunt, omnesque cruciatus renovantur. — Mansuetissime Jesu, quam frequenter concessisti mihi veniam! ego vero in eadem relapsus sum peccata, measque in te offensas renovavi. Per meritum novi hujus tui lapsus adjuva me, ut in gratia tua usque ad obitum perseverem. Fac ut in omnibus, quæ me in-



Digitized by Google

vasuræ sunt, tentationibus me tibi semper commendem. Amo te ex toto corde meo, o Jesu, mi Amor; pœnitet me quod tibi displicui: ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

## Statio VIII.

### Jesus plorantes mulieres alloquitur.

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera quomodo mulieres, videntes Jesum lassitudine exanimatum et cruore inter eundum diffluentem, commiseratione permoveantur, lacrymasque profundant. Ad flentes autem conversus: *nolite*, inquit, *flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros.* — O perdolens Jesu, defleo mea in te peccata ob pœnas quidem quibus me dignum reddiderunt, sed maxime ob molestiam quam tibi intulerunt, tibi qui me tantopere amasti. Ad fletum minus infernus quam amor tui me excitat. O mi Jesu, amo te magis quam meipsum; pœnitet me quod tibi displicui; ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum

Digitized by Google

amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

## Statio IX.

**Jesus procumbit tertium sub onere crucis.**

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera tertium Jesu Christi sub cruce lapsum. Procumbit quia nimia erat ejus debilitas, et nimia sævitia carnificum, qui volebant ut gressum acceleraret, dum vix unum gradum facere posset. — O inclementer habite Jesu, per meritum illius virium defectionis, qua in via ad Calvarium laborare voluisti, tanto, precor, me vigore conforta, ut nullum amplius ad humana judicia respectum habeam, ac vitiosam meam naturam edomem: quod utrumque in causa fuit cur tuam olim amicitiam contempserim. Amo te, o Jesu, mi Amor, ex toto corde meo; pœnitet me quod tibi displicui: ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.



Digitized by Google

## Statio X.

**Jesus vestibus spoliatur.**

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera quam violenter Jesus vestimentis suis spolietur. Cum enim vestis interior arcte carni flagellis dilaniatæ adhæreret, carnifices, avellendo vestem, cutem ei quoque avellunt. Subeat te commiseratio Domini tui, eumque sic alloquere: Innocentissime Jesu, per meritum doloris quem inter hanc spoliationem passus es, adjuva me, precor, ut omnem in res creatas affectum exuam, et tota voluntatis meæ inclinatione ad te solum convertar, qui meo nimis dignus es amore. Amo te ex toto corde meo; pœnitet me quod tibi displicui; ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

## Statio XI.

**Jesus clavis affigitur cruci.**

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera quomodo Jesus in crucem conjiciatur, et extensis brachiis, vitam suam

in sacrificium pro nostra salute æterno Patri offerat. Carnifices clavis eum affigunt, dein erigunt crucem, et infami patibulo suffixum sævæ morti permittunt. — O contemptissime Jesu, affige pedibus tuis cor meum, ut amoris vinculo ligatum semper tecum remaneat, neque amplius a te avellatur. Amo te magis quam meipsum; pœnitet me quod tibi displicui: ne permittas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

### Statio XII.

Jesus moritur in cruce.

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera tuum cruci suffixum Jesum, qui post trium horarum cum morte luctam, doloribus tandem consumptus addicit corpus morti, et inclinato capite emittit spiritum. — O mortue Jesu, exosculor, pietatis sensu intime commotus, hanc crucem in qua tu, mei causa, vitæ tuæ finem implevisti. Ob commissa peccata infelicem mihi mortem promerui; sed mors tua est

Digitized by Google

spes mea. Per mortis tuæ merita, concede mihi precor, ut in amplexu pedum tuorum extremum spiritum, tui amore flagrans, aliquando reddam. In manus tuas commendo spiritum meum. Amo te ex toto corde meo; pœnitet me quod tibi displicui: ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tui, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu caritatis victima etc.

## Statio XIII.

Jesus deponitur de cruce.

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera quomodo duo ex Jesu discipulis, Josephus nempe et Nicodemus, eum exanimatum de cruce tollant et inter brachia perdolentis Matris reponant, quæ mortuum Filium peramanter recipit et arcte complectitur. – O mœrens Mater, per amorem quo Filium tuum amas, accipe me in servum tuum et precare eum pro me. Tu vero, o mi Redemptor, quoniam pro me mortuus es, fac benigne ut amem te; te enim solum volo, nec extra te aliud quidpiam mihi opto. Amo te, o

Digitized by Google

mi Jesu, pœnitet me quod tibi displicui: ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tuî, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc.

Tu, caritatis victima etc.

### Statio XIV.

Jesus sepulchro conditur.

℣. Adoramus etc. ℟. Quia etc.

Considera quomodo discipuli exanimem Redemptorem ad locum sepulturæ deferant. Mœrens Mater eos comitatur, et propriis manibus corpus Filii sepulturæ accommodat. Sepulchrum dein occluditur, et omnes a loco recedunt. — O sepulte Jesu, exosculor hunc, qui te recondit, lapidem; sed post triduum ex sepulchro resurges. Per tuam resurrectionem fac me, precor, extremo die gloriosum tecum resurgere, et venire in cœlum, ubi tecum semper conjunctus, te laudabo et in æternum amabo. Amo te, et doleo quod tibi displicui: ne sinas me iterum tibi displicere. Da mihi perpetuum amorem tuî, et dein fac de me quidquid tibi placuerit.

*Pater* etc. — Tu, caritatis victima etc.

Digitized by Google

### * Oratio ad Vulnera Christi.

Rogo te, Domine Jesu, per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in cruce pro nostra salute, ex quibus emanavit ille pretiosus sanguis quo sumus redempti: vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es; vulnera eam igneo et potentissimo telo tuæ nimiæ caritatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: caritate tua vulnerata sum, ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die ac nocte. Percute, Domine, percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis tuæ, et altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

### * Salutationes
### ad omnia membra Christi
#### et sui ipsius ad eum commendatio.

Salve, tremendum cunctis potestatibus *Caput* Domini nostri Jesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis coronatum et arundine percussum! Salve, pretiosissima Salvatoris nostri Jesu Christi *Facies,* pro nobis sputis et alapis cæsa! Salvete, benignissimi

Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri *Oculi*, pro nobis lacrymis perfusi! Salve, mellifluum *Os Gutturque* suavissimum Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis felle et aceto potatum! Salvete, *Aures* nobilissimæ Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis contumeliis et opprobriis affectæ! Salve, *Collum* humile Jesu Christi, pro nobis colaphizatum, *Dorsumque* sanctissimum, pro nobis flagellatum! Salvete, venerabiles Domini nostri Jesu Christi *Manus* et *Brachia*, pro nobis in cruce extensa! Salve, *Pectus* mitissimum Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum! Salve, *Latus* gloriosissimum Domini nostri Jesu Christi, pro nobis lancea militis perforatum! Salvete, Domini Jesu Christi Salvatoris nostri sacra misericordiæ *Genua*, pro nobis in orationibus flexa! Salvete, Domini Jesu Christi Salvatoris nostri *Pedes* adorandi, pro nobis clavis affixi! Salve, totum *Corpus* Jesu Christi, pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum et sepultum! Salve, *Sanguis* pretiosissime, de corpore Domini Jesu Christi Salvatoris nostri pro nobis

Digitized by Google

effuse! Salve sanctissima Domini nostri Jesu Christi *Anima*, in cruce pro nobis in manus Patris commendata.

In eadem commendatione tibi commendo hodie et quotidie animam meam, vitam meam, cor et corpus meum, omnes sensus et actus meos, omnes amicos, benefactores et consanguineos meos, animas parentum, fratrum, sororum et omnium amicorum ac inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare et defendere digneris ab omnibus insidiis inimicorum nostrorum, visibilium et invisibilium, nunc et in perpetuum. Amen.

## * Litaniæ SS. Nominis Jesu.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Jesu, Fili Dei vivi, miserere nobis.
Jesu, splendor Patris, miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, candor lucis æternæ, miserere nobis.
Jesu, Rex gloriæ, miserere nobis.
Jesu, sol justitiæ, miserere nobis.
Jesu, Fili Mariæ Virginis, miserere nobis.
Jesu amabilis, miserere nobis.
Jesu admirabilis, miserere nobis.
Jesu, Deus fortis, miserere nobis.
Jesu, pater futuri sæculi, miserere nobis.
Jesu, magni consilii Angele, miserere nobis.
Jesu potentissime, miserere nobis.
Jesu patientissime, miserere nobis.
Jesu obedientissime, miserere nobis.
Jesu mitis et humilis corde, miserere nobis.
Jesu, amator castitatis, miserere nobis.
Jesu, amator noster, miserere nobis.
Jesu, Deus pacis, miserere nobis.
Jesu, auctor vitæ, miserere nobis.
Jesu, exemplar virtutum, miserere nobis.
Jesu, zelator animarum, miserere nobis.
Jesu, Deus noster, miserere nobis.
Jesu, refugium nostrum, miserere nobis.
Jesu, pater pauperum, miserere nobis.
Jesu, thesaurus fidelium, miserere nobis.
Jesu, bone pastor, miserere nobis.
Jesu, lux vera, miserere nobis.
Jesu, sapientia æterna, miserere nobis.
Jesu, bonitas infinita, miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, via et vita nostra, miserere nobis.
Jesu, gaudium Angelorum, miserere nobis.
Jesu, Rex Patriarcharum, miserere nobis.
Jesu, Magister Apostolorum, mis. nobis.
Jesu, Doctor Evangelistarum, mis. nobis.
Jesu, fortitudo Martyrum, miserere nobis.
Jesu, lumen Confessorum, miserere nobis.
Jesu, puritas Virginum, miserere nobis.
Jesu, corona Sanctorum omnium, miserere nobis.
Propitius esto, parce nobis, Jesu.
Propitius esto, exaudi nos, Jesu.
Ab omni malo, libera nos, Jesu.
Ab omni peccato, libera nos, Jesu.
Ab ira tua, libera nos, Jesu.
Ab insidiis diaboli, libera nos, Jesu.
A spiritu fornicationis, libera nos, Jesu.
A morte perpetua, libera nos, Jesu.
A neglectu inspirationum tuarum, libera nos Jesu.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera nos, Jesu.
Per nativitatem tuam, libera nos, Jesu.
Per infantiam tuam, libera nos, Jesu.
Per divinissimam vitam tuam, libera nos, Jesu.
Per labores tuos, libera nos, Jesu.

Digitized by Google

Per agoniam et passionem tuam, libera nos, Jesu.
Per crucem et derelictionem tuam, libera nos, Jesu.
Per languores tuos, libera nos, Jesu.
Per mortem et sepulturam tuam, libera nos, Jesu.
Per resurrectionem tuam, libera nos, Jesu.
Per ascensionem tuam, libera nos, Jesu.
Per gaudia tua, libera nos, Jesu.
Per gloriam tuam, libera nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: quæsumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus.

Digitized by Google

Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum.

(Indulg. 300 dierum. Leo PP. XIII. 16. Jan. 1886.)

* Hymnus.

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel, et omnia,
Ejus dulcis præsentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.

Jesu, spes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere:
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Digitized by Google

Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria,
Per cuncta semper sæcula. Amen.

Jesu, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet caritas.

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite:
Jesum ardenter quærite,
Quærendo inardescite.

Te nostra, Jesu, vox sonet,
Nostri te mores exprimant,
Te corda nostra diligant,
Et nunc, et in perpetuum! Amen.

Digitized by Google

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.

Qui te gustant, esuriunt;
Qui bibunt, adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ!
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.

Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine;
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.

Jesu, flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis. Amen.



*** Corona precatoria in honorem Ss. Cordis Jesu.**

I. Amantissime Jesu, cum de sanctissimo Corde tuo attentius cogito, illudque in pietatem et clementiam erga peccatores

Digitized by Google

totum proclive contueor, sentio cor meum magno lætitiæ sensu perfundi, et repleri fiducia, fore ut benigne a te excipiar. Eheu! quam multa sunt mea in te peccata! Sed, sicut Petrus et Magdalena pœnitens, ita ea ego nunc defleo ac detestor, quia fuerunt totidem in te, summum Bonum, contumeliæ. Tu igitur, obsecro te per Cor tuum sanctissimum, elargire mihi plenam delictorum meorum veniam; fac ut ego potius moriar quam ut nova aliqua culpa te offendam, et concede ut reliqua mea vita jugiter in tui amore transigatur.

*Semel* Pater, *et quinquies* Gloria *in honorem SS. Cordis; dein*

Cor dulce Jesu, plenius
Fac in dies te diligam.

II. O Jesu, benedico humillimo Cordi tuo, et ago tibi gratias quod, proponendo illud mihi in exemplar, non solum ad tuî imitationem potenter me incitas, sed etiam quod mihi, in innumeris tuis humilitatis actibus, verum te imitandi modum ostendis, viamque tuî imitationis mihi complanas. O me dementem et in te ingratum! Quam longe ab hac via deflexi! Sed parce mihi: relicta enim via superbiæ, volo in



Digitized by Google

via humilitatis te humilis corde sectari, ut ita pacem atque æternam salutem mihi consequar. Adde tu mihi vires, et ego in æternum Cordi tuo benedicam.

*Semel* Pater *etc.* Cor dulce *etc. ut supra.*

III. O Jesu, admiror patientissimum Cor tuum, et ago tibi gratias pro tot admirabilibus, quæ nobis præbuisti, tolerantiæ exemplis. Hæc, dolens fateor, frustra mihi miram illam exprobrant ignaviam, quæ me præpedit, quominus vel levissimas molestias patienter sufferam. O mi Jesu, infunde cordi meo, precor, tam fervidum et perseverantem crucis, mortificationis pœnitentiæque amorem, ut ad Calvarium usque te secutus, ad cœli quoque gaudia tecum perveniam.

*Semel* Pater *etc.* Cor dulce *etc. ut supra.*

IV. In aspectu mansuetissimi cordis tui, o mi Jesu, horresco totus, videns quantum ab eo cor meum discordet. Quid enim? Satis est de aliqua suspicione, de aliquo gestu, de levi aliqua contradictione, ut illico totus conturber et in querimonias prorumpam. Ignosce, precor, tantæ meæ incandescentiæ, et fac ut in quibuslibet mihi postea obventuris injucunditatibus

Digitized by Google

ac molestiis immutabilem tuam mansuetudinem imitatione exprimam, atque ita sancta in perpetuum pace perfruar.

*Semel* Pater *etc.* Cor dulce *etc.*

V. Præclaris etiam laudibus efferatur, o Jesu, cor tuum generosissimum, quod ob suam de morte atque inferno reportatam victoriam omnium se reddidit dignum præconiis. Pudore equidem suffundor, cum cor meum adeo ignavum conspicio, ut ad omne malevolum verbum, ad omnem sinistram hominum opinationem expavescam. Sed nolo diutius in hac perstare ignavia. Tu vero erige mihi animum, et fac me tam intrepide præliari, ut adeptus in terra victoriam, gaudens aliquando in cœlo tecum triumphare merear.

*Semel* Pater *etc.* Cor dulce *etc.*

Conversi nunc ad Virginem Deiparam, totos nos cum novo pietatis fervore ei dedicemus, maternoque ejus cordi confisi, his eam alloquamur verbis:

O excelsa Mater Dei, et Mater mea Maria, per singularia dulcissimi cordis tui privilegia; impetra mihi erga sacratissimum Cor Jesu Filii tui, verum ac perpetuum pietatis affectum, ita ut mente



Digitized by Google

ac cogitatione in illo semper sanctuario habitem, omnia mea ibi munia impleam, ibique cum maxima cordis alacritate, omni quidem tempore, sed præsertim hodierno die, Deo fideliter serviam.

℣. Cor Jesu flagrans amore nostri.

℟. Inflamma cor nostrum amore tuî.

Oremus.

Illo nos igne, quæsumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus e penetralibus Cordis sui misit in terram, et voluit vehementer accendi: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(Indulg. 300 dierum *toties quoties; plenaria* semel in mense, si hæc corona quotidie recitetur. Pius PP. VII. 20. Mart. 1815.)

## 4. In honorem B. Virginis Mariæ.

### S. Alphonsi carmen de laudibus Virginis Deiparæ.

Virgines, quotquot nituêre forma,
Una tu vincis, mea Lux, Maria;
Vincis et quidquid decoris Creator
Indidit Orbi.

Digitized by Google

Est tibi vultus, jubar unde Lucis
Ridet æternæ: superaris uno
Sole divino; reliquis nitescis
Clarius astris.

Sunt tibi mites oculi, gemellum
Qui velut sidus radiant ab alto;
Quoque demittunt radios, amica
Vulnera figunt.

Sunt tibi, gemmis similes eburnis,
Candidæ palmæ, quibus arcta nobis
Corda prædaris, tua dum refundis
Regia dona.

O Deo caram! Dominamque Terris
Jure præfectam Superisque et Orco!
O piam nobis! quibus, et protervis,
Parcere gaudes.

Quando jam tecum, Speciosa, cœlis
Inserar? Quando mihi pene votis,
Mater, exeso tua contueri
Ora licebit?

Interim, Virgo, Satanam coërce,
Ne meî dirus potiatur hostis;
Millies pulsum, nova machinantem
Bella, fugato.

Digitized by Google

Gratias, Tellus, age Conditori
Quod, tuo natam gremio, Mariam
Splendidam vultu teneramque juxta
Pectore finxit.

Ergo tu mecum, spatiosa Tellus,
Voce, quæ nubes feriat, canorum
Dic Io Jesu! quod Io Maria!
Pone sequatur.

## Orationes
### pro singulis hebdomadæ diebus.

Indulg. 300 dierum semel in die, si sequentes preces stata die recitentur; plenaria semel in mense, si quotidie recitentur. Pius PP. IX. 18. Junii 1876.

### Die Dominica.
Ad impetrandam veniam peccatorum.

En ad pedes tuos, Virgo Deipara, miserum peccatorem ad te confugientem, in teque confidentem. Non mereor uti me vel respicias; sed scio te, videntem Filium tuum pro peccatorum salute mortuum, summo eos adjuvandi desiderio teneri. O Mater misericordiæ, intuere miserias meas ac miserere meî. Audio te ab omnibus refugium peccatorum, spem desperatorum,

Digitized by Google

destitutorum auxilium vocitari. Ergo tu es refugium meum, spes mea, auxilium meum. Tu me salvum facere habes intercessione tua. Per amorem Jesu Christi, succurre mihi; porrige manum misero qui lapsus, tibi se commendat. Dulce est tibi adjuvare peccatorem, cum potes; ergo nunc me, cum adjuvare potes, adjuva. Ego peccatis meis et divinam gratiam et animam meam perdidi. Nunc me repono in manibus tuis. Dic mihi quid me oporteat facere, ut in gratiam cum Domino meo redeam, et faciam cito. Ille me ad te relegat, ut mihi succurras; vult ad tuam misericordiam confugiam, uti me non solum Filii tui merita, sed et preces tuæ ad consequendam salutem juvent. Ad te igitur confugio; precare Jesum pro me. Fac innotescat, quantum boni facere noris in te confidenti. Ita spero, sic fiat.

*Adjice ter* Ave *ad compensandas blasphemias in B. V. Mariam.*

## Feria II.

**Ad impetrandam sanctam perseverantiam.**

O Regina cœli, Maria sanctissima, ego, miserum aliquandiu dæmonis mancipium,

Digitized by Google

me tibi nunc in servum perpetuum dedico, meque ad colendam te tibique serviendum per omnem vitam meam offero. Tu me accepta, nec repudia quemadmodum mereor. In te, o Mater, collocavi spes meas omnes; a te omnes meas fortunas spero. Benedico et gratias ago Deo, quod, per suam misericordiam, hanc mihi in te fiduciam dedit, quam habeo ut præclarum pignus salutis meæ. Sum equidem, fateor, præterito tempore misere prolapsus in culpam, quia non confugi ad te. Nunc, per merita Jesu Christi ac preces tuas, spero me veniam impetrasse. Nec tamen hoc mihi satis est: angor animo, cogitans posse me ad amittendam gratiam Dei reverti. Continuantur pericula, non dormiunt hostes, novæ tentationes in me impetum facient. Tu igitur, o Domina mea, protege me; adjuva me in infernalium hostium assultibus, nec sine, me in peccatum unquam relabi. Nunquam illud, precor, mihi accidat, ut rursus animam meam, paradisum et Deum perdam, atque ita in æternam proruam perniciem. Hanc ego gratiam a te peto, Maria; hanc ego volo; hanc tu mihi impetra. Ita spero, sic fiat.

Digitized by Google

*Ter* Ave, *ad compensandas blasphemias in B. V. Mariam.*

## Feria III.

**Ad impetrandam bonam mortem.**

O Maria sanctissima, Mater plena bonitate et misericordia, cum peccata mea perpendo, et de hora mortis meæ cogito, tremo et confundor. O dulcissima mea Mater, in sanguine Jesu Christi et in intercessione tua sitæ sunt spes meæ! Noli me tunc, Consolatrix afflictorum, deserere, noli desinere consolari me in magna illa mœstitia. Si nunc usque adeo me torquet remordens conscientia peccatorum commissorum, veniæ incertitudo, periculum relabendi, ac divinæ justitiæ rigor: quid tum de me fiet? O Domina mea, impetra mihi, antequam mors adveniat, magnum peccatorum meorum dolorem, veram emendationem meî, ac fidelitatem Deo per omnem, quæ mihi restat, vitam. Deinde cum ad tempus mortis accessero, tum tu me, Maria, spes mea, in magnis illis angustiis, in quibus mihi versandum erit, adjuvato: confirmato me, ne intuitu culparum mearum, quas mihi dæmon ob oculos ponet, despe-

Digitized by Google

rem. Impetra mihi, ut tum te sæpius invocem, ut mihi animam efflanti tuum tuique Filii dulcissimum nomen in ore sit. Hanc gratiam concessisti tam multis tibi devotis: eamdem et ego volo speroque. Amen.

*Ter* Ave, *ad compensandas blasphemias in B. V. Mariam.*

## Feria IV.

**Ad impetrandam præservationem ab inferis.**

O Deipara, Maria sanctissima, quam frequenter peccatis meis infernum mihi promerui! Jam post primum peccatum meum exsecutioni mandata fortasse fuisset sententia, nisi tu clementer divinam justitiam cohibuisses; deinde, emolliens cordis mei duritiam, ad fiduciam in te collocandam me traxisti. Heu! in quanta alia postea cecidissem peccata, in illis quæ mihi occurrêre periculis, nisi tu me, Mater amantissima, per impetrata præservasses auxilia. At quid mihi, o Regina mea, proderunt misericordia tua et jam impensi favores, si salutis jacturam fecero? Si aliquando non amavi te, nunc te amo, post Deum, super omnia. Ah! ne sinas, me eo

Digitized by Google

venire ut tibi et Deo, qui per te tot ac tantis misericordiis me complexus est, tergum vertam. Amabilissima Domina mea, ne patiaris, ut ego te apud inferos oderim, tibique in perpetuum maledicam. Num tu quemquam servum tuum, qui amet te, ad inferos damnatum sustineas? Quid mihi dicis, Maria? Damnabor? Damnabor si te deseruero. At, quis ausit te deserere? Quis poterit oblivisci ejus, quo in me fuisti, amoris? Ille neutiquam perit qui se tibi fideliter commendat, et ad te recurrit. Ah! Mater mea, ne derelinquas me in manu mea, quia perirem. Fac ad te confugiam semper. Serva me, spes mea, serva me ab inferis, ac primum quidem a peccato, quod unum eo me conjicere potest.

*Ter* Ave, *ad compensandas blasphemias in B. V. Mariam.*

## Feria V.

### Ad consequendum Paradisum.

O Regina Paradisi, quæ super omnes angelorum choros proxima Deo sedes, ex hac lacrymarum valle saluto te ego, miser peccator, ac peto uti in me conjicias misericordes illos tuos oculos, qui, quocum-

Digitized by Google

que aspiciunt, gratias spargunt. Aspice, o Maria, in quantis sim ac, donec hic in terris vixero, futurus sim periculis perdendi animam, Paradisum, Deum. In te, o Domina, collocavi omnes spes meas. Te amo et suspiro desiderio mox veniendi, ut te videam laudemque in Paradiso. Quando erit, o Maria, ille dies quo me salvum videbo ad pedes tuos? Quando exosculabor illam manum quæ tot mihi gratias dispensavit? Verum est, o Mater mea, me in vita mea fuisse erga te valde ingratum; sed si intravero in Paradisum, totis te viribus, continuo, per omnem æternitatem amabo, et, semper benedicendo ac gratias agendo tibi, culpam minus grati animi compensabo. Summas gratias ago Deo, qui talem mihi in sanguine Jesu et in potenti tua intercessione infundit fiduciam. Hæc fiducia infuit omnibus qui tibi exstiterunt vere devoti, nec ullus eorum spe sua frustratus est. Ita nec ego mea frustrabor. O Maria, precare Filium tuum Jesum (sicut et ego eum per merita suæ Passionis precor) ut hanc meam fiduciam confirmet, ac magis magisque adaugeat. Amen.

Digitized by Google

*Ter* Ave, *ad compensandas blasphemias in B. V. Mariam.*

## Feria VI.

Ad impetrandum amorem B. M. Virg. et Jesu Christi.

O Maria, tu es creaturarum nobilissima, sublimissima, purissima, formosissima, sanctissima omnium. Oh! si te omnes cognoscerent, Domina mea, et amarent sicuti mereris! Sed illud me consolatur, quod tot felices animæ in cœlo et in terris vivunt amore tuæ bonitatis et pulchritudinis inflammatæ. Super omnia autem in hoc lætificor quod ipse Deus te solam plus amat quam omnes homines atque angelos simul. Amabilissima mea Regina, ego quoque, miserabilis peccator, amo te, sed amo nimis parum; volo amorem in te majorem et magis flagrantem, atque hunc tu mihi habes impetrare, quoniam amare te manifestum est prædestinationis signum, et gratia quam Deus illis solis, quos vult salvos, elargitur.

Deinde, Mater mea, video me Filii tui beneficiis nimis obligatum, video Illum infinito dignum esse amore. Tuum est, cum

Digitized by Google

nihil aliud exoptes nisi ut ille ametur, hanc mihi impetrare gratiam, magnum nimirum erga Jesum Christum amorem. Tu quidquid desideras a Deo consequeris, fac igitur, ut Filium tuum medullitus amem. Non peto a te bona terrena, non honores, non divitias; id peto quod maxime desiderat cor tuum: peto, ut amem Deum meum. Fierine potest ut hoc in desiderio, quod tibi tantopere placet, adjuvare me nolis? Non sic; jam nunc me adjuvas, jam nunc pro me oras. Ora, ora, Maria, nec orare desiste, dum me videris in Paradiso, ubi certo scio futurum esse, ut Deum meum possideam, eumque et te simul, carissimam meam matrem, semper diligam. Amen.

*Ter* Ave, *ad compensandas blasphemias in B. V. Mariam.*

### Sabbato.

Ad impetrandum B. Virginis Patrocinium.

O mea Mater sanctissima, video quas mihi gratias impetrasti, nec minus ingratum, quo erga te fui, animum video. Ingratus non est amplius beneficiis dignus; nec tamen tuæ idcirco misericordiæ diffidam. O mea magna Advocata, miserere

mei. Tu es omnium gratiarum dispensatrix, quas Deus nobis miseris concedit, et ad hunc finem te fecit ita potentem, ita divitem atque benignam, ut nobis succurras in miseriis nostris. Ego volo salvus fieri: in manu tua repono æternam salutem meam, apud te animam meam depono. Cupio inter servos tuos propiores adscribi: noli me repellere. Quæris ubique miserabiles quos subleves; ne deserueris me miserum peccatorem ad te confugientem. Loquere pro me: Filius tuus, quidquid poposceris, faciet. Assere me tutelæ tuæ, et satis est; nam si tu me tueris, nihil timeo: nec a peccatis meis, quia tu eorum veniam, sicut spero, a Deo mihi obtinebis; nec a dæmonibus, cum sis toto inferno potentior; nec ab ipso meo Judice, Jesu Christo, quia ad unam aliquam precationem tuam placabitur. Tu igitur protege me, o Mater mea, et obtine mihi omnium peccatorum meorum veniam, amorem Jesu Christi, sanctam perseverantiam, bonam mortem, denique Paradisum. Sum equidem his gratiis indignus, sed, si tu precatrix pro me fueris, eas a Domino impetrabo. Precare igitur Jesum pro me. Tibi, Maria, Regina

Digitized by Google

mea, confido; in hac spe conquiesco et vivo, cum hac spe cupio mori. Amen.

*Ter* Ave, *ad compensandas blasphemias in B. V. Mariam.*

**Pii S. Alphonsi in Virginem Deiparam affectus.**

Visne, Maria,
Scire quid optem?
Te pius opto
Cultor amare,

Teque per ævum
Cernere coram:
Ne mea, quæso,
Despice vota.

Tuque vicissim
Prode, Decora;
Prode, Benigna,
Quæ tibi reddam.

Una (cor ardens)
Est mihi gemma;
Hanc tibi dono,
Munus amoris.

Munus at ipsum
Tu rapuisti,
Cum tua primum
Vulnera sensi.

Digitized by Google

Ergo, Maria,
Sum tua præda:
Hanc trahe tecum,
Mater, ad astra.

## Corona precatoria
## in honorem septem dolorum Deiparæ Virginis Mariæ.

Virgo, quæ luges acerbam
Passionem Filii,
Me tibi fac perdolenti
Condolere jugiter.

I. Condoleo tibi, perdolens Mater, ob primum doloris gladium, quo in templo transverberata es, cum ad Simeonis vaticinium, tibi omnia, quæ per sacram Scripturam jam cognoscebas, contuenda exhibita sunt supplicia, quibus prædulcis Filius erat afficiendus ab hominibus, qui eo crudelitatis erant processuri, ut Eum, inspectante te, suffigerent ignominioso crucis patibulo, ubi Ipse profuso omni sanguine, ultimum spiritum emitteret, derelictus ab omnibus, et vel ipsa materna tua defensione opeque destitutus. — Per amaram ergo illam memoriam, quæ per tot annos cor tuum ma-



Digitized by Google

ternum discruciavit, te, mea Regina, precor, ut mihi gratiam impetres in corde meo semper, tum in vita, tum in morte, impressam gerendi Passionis Jesu tuorumque dolorum imaginem.

*Semel* Pater. Ave. Gloria. *Dein:*

Virgo, quæ luges acerbam
Passionem Filii,
Me tibi fac perdolenti
Condolere jugiter.

II. Condoleo tibi, perdolens Mater, ob alterum doloris gladium, quo transverberatá es, cum innocenti Filio tuo vix nato necem jam paratam videres ab ipsis illis hominibus, quorum amore ductus in mundum venerat, ita ut dura tibi necessitas Eum in Ægyptum, nocte et clancúlum, deportandi imponeretur. — Per tot ergo et tantas molestias, quas tu, tenera Virgo, in longo illo atque ærumnoso itinere, per deserta atque aspera loca, comite exule Filiolo, perpessa es; per tot ac tantos labores, quos ambo in Ægypto tolerastis, ubi alienigenæ atque ignoti totum diutinæ vestræ mansionis tempus in egestate hominumque contemptu transegistis, precor

te, dilecta mea Domina, ut mihi impetres gratiam, qua possim usque ad mortem omnes miseræ hujus vitæ labores patienter tecum perferre, atque ita ab illis, qui æterni sunt, et quos peccando mihi promeritus sum, eripi inferorum laboribus.

*Semel* Pater. Ave. Gloria. *Dein:*

Virgo, quæ luges acerbam
Passionem Filii,
Me tibi fac perdolenti
Condolere jugiter.

III. Condoleo tibi, perdolens Mater, ob tertium gladium, quo transverberata es, cum amissus Filius tuus Jesus per totum triduum Hierosolymis a te semotus remaneret. Et quoniam prædulcem Natum non amplius tibi adstantem contuebaris, et causam cur ipse abesset ignorabas, non est dubitandum, quin tu, amantissima Regina, illas noctes absque somno transegeris, gemens jugiter desiderio carissimi Filii, quem unice diligebas. — Per hos ergo gemitus, quos nimis longo ac pertristi illo triduo edidisti, precor, ut mihi gratiam impetres, qua possim in Dei mei possessione ita permanere ut, quamdiu vixero,



Digitized by Google

ab ejus amplexu nunquam divellar, utque in ejus tandem complexu de hac terra discedam.

*Semel* Pater. Ave. Gloria. *Dein:*

Virgo, quæ luges acerbam
Passionem Filii,
Me tibi fac perdolenti
Condolere jugiter.

IV. Condoleo tibi, perdolens Mater, ob quartum gladium, quo transverberata es, cum Filium tuum Jesum ad mortem condemnatum videres, funibus catenisque vinctum, confectum vulneribus cruoreque madentem, præcinctum serto spinarum, sub pondere crucis, quam vulneratis suis humeris sustinebat, procumbentem et, more innocentis agni, procedentem ad locum, ubi mortem tandem erat pro nobis subiturus. Mutuo vos aspexistis; fueruntque mutui vestri aspectus totidem sagittæ, quæ amantia vestra corda sævum in modum transverberarunt. —Per acerbum ergo hunc dolorem te precor, ut mihi gratiam impetres, qua possim Dei voluntati perfecte acquiescere, ac gaudens meam cum Jesu portare crucem usque ad extremum spiritum.

Digitized by Google

*Semel* Pater. Ave. Gloria. *Dein:*

Virgo, quæ luges acerbam
Passionem Filii,
Me tibi fac perdolenti
Condolere jugiter.

V. Condoleo tibi, perdolens Mater, ob quintum gladium, quo in Calvariæ monte transverberata es, cum dilectum Filium tuum in duro illo crucis lectulo, inter summos dolores universalemque adstantium contemptum, sensim morientem videres, quin penes te esset Ei, in sævo illo martyrio, vel unum ex minimis illis afferri levamentis, quæ sceleratissimis etiam hominibus, morti jam vicinis, afferri solent. — Per amaram ergo illam mortem, quam tu, amantissima Mater, una cum Filio perpessa es; per acerbum illum mœrorem, quo obruta es, cum dulcem Natum supremis te verbis e cruce alloquentem nosque in persona Joannis in filios tibi commendantem audires; per acerbissimum illum dolorem, quo transfixa es, cum Unigenitum tuum caput inclinantem spiritumque emittentem magnanima conspiceres, precor te, ut a Jesu, crucifixo tuo Amore, gratiam mihi impetres, qua possim omnibus, quæ in mundo

Digitized by Google

sunt, mori, mundanisque rebus omnibus crucifixus, Deo soli semper vivere usque ad mortem, et aliquando in cœlestem recipi patriam, ubi beatissime Dei aspectu in æternum perfruar.

*Semel* Pater. Ave. Gloria. *Dein:*

Virgo, quæ luges acerbam
Passionem Filii,
Me tibi fac perdolenti
Condolere jugiter.

VI. Condoleo tibi, perdolens Mater, ob sextum gladium quo transverberata es, cum lancea transfigi videres dulce cor exanimis Filii, qui mortuus erat pro illis ipsis ingratis hominibus, quos tanta agebat ferocitas, ut Eum vita jam functum adhuc torquere perseverarent. Per acerbum ergo hunc dolorem, qui solam animam tuam transfixit, precor te, ut gratiam mihi impetres habitandi jugiter in Corde Jesu, quod mea causa vulneratum ac lancea apertum est; in Corde, inquam, Jesu, quod est formosa illa amoris cellula, quam omnes Dei amantes animæ inhabitant, et quam ego quoque ita inhabitare cupio, ut de Deo solo semper cogitem eumque solum diligam. Tu, sacrosancta Virgo, potes

Digitized by Google

hanc mihi gratiam obtinere; ego vero eam a te spero.

*Semel* Pater. Ave. Gloria. *Dein:*

Virgo, quæ luges acerbam
Passionem Filii,
Me tibi fac perdolenti
Condolere jugiter.

VII. Condoleo tibi, perdolens Mater, ob septimum gladium, quo transverbèrata es, cum gremio exceptum Filium conspiceres jam mortuum, non amplius, sicut olim in Bethlehemitico præsepio, formosum ac candidum, sed cruentatum, lividum et ex plagis, quæ vel ipsa ejus ossa nudaverant, ita fœde dilaceratum, ut flebili voce eum sic compellares: Fili, quo tandem perduxit te amor? Et quia exanimis Filius erat reponendus in sepulchro, voluisti ejus comitari exsequias, propriisque manibus sacrosanctum corpus sepulturæ accommodare, nec prius a sepulchro, in quo amantissimum cor tuum juxta sepultum Natum reliquisti, recedere quam justa funebria omnino fuissent expleta. — Te igitur, per tam acerbum amantissimi cordis tui martyrium precor, ut a Deo, dilecto Filio tuo, veniam mihi impetres omnium meorum de-

Digitized by Google

lictorum, quorum me ex intimo corde pœnitet. Defende me, quæso, in omnibus tentationibus, et veni mihi in mortis angustiis, clemens adjutrix, ut ita adjuvante te æternam mihi, per Jesu merita, salutem consequar, et, post ærumnosum hoc exilium, in cœlitum sedem recipiar, ad laudes tuas et laudes Jesu per omnem æternitatem cantandas. Amen.

*Semel* Pater. Ave. Gloria. *Dein:*

Virgo, quæ luges acerbam
Passionem Filii,
Me tibi fac perdolenti
Condolere jugiter.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, in cujus Passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis et Matris Mariæ doloris gladius pertransivit, concede propitius, ut qui dolores ejus venerando recolimus, Passionis tuæ effectum felicem consequamur: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

### *Hymnus.

Stabat Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!

Quæ mœrebat et dolebat,
Pia Mater, dum videbat
Nati pœnas inclyti!

Quis est homo qui non fleret
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?

Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suæ gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
Moriendo, desolatum,
Dum emisit spiritum.

Digitized by Google

Eja, Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater, istud agas:
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi jam non sis amara;
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari
Et cruore Filii.

Digitized by Google

Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.

Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.

Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

(Indulg. 100 dierum *toties quoties.* Pius PP. IX. 18. Junii 1876.)

### * Corona precatoria
### in honorem B. M. V. de Perpetuo Succursu.

I. O piissima Virgo et Mater mea Maria, quæ, ad infundendum nobis summam fiduciam, Mater de Perpetuo Succursu vocari voluisti, et sub prædulci hoc titulo a nobis honorari: respice in me, qui flexis genibus, me tibi sisto; respice in me et miserere mei. Vide quantis miseriis premar et in quantis verser periculis. Succurre mihi perpetim, et quoties, auxilii implorandi causa, ad te confugero, fac experiar, te mihi revera factam esse adjutricem,

Digitized by Google

in opportunitatibus, in tribulatione. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.

(Indulg. 300 dierum toties quoties, et si quotidie recitatur Ind. plen. quolibet mense. Pius IX. 30. Septembris 1852.)

II. O Maria, quæ es perpetuum omnium ad te confugientium auxilium, subeat te commiseratio meî. Intuere flebilem meam in Dei servitio incuriam. Vide quam segniter pravis meis cupiditatibus obsistam, quam facile cedam dæmonis tentationibus et quam prompte in varias culpas proruam. O mater misericordiæ, miserere mei; succurre mihi perpetim, et fac ut, excusso ignaviæ meæ jugo, talem ducere vitam incipiam, quæ tibi Deoque vere placeat. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.

III. O Mater de Perpetuo Succursu, ago tibi gratias quod mihi jam toties culparum mearum veniam impetrasti, et quod ab innumeris me præservasti peccatis, in quæ ego, ad omnia mala proclivis, certissime incidissem, nisi tu me pia adjuvisses. Sed nondum desiit cum hostibus colluctatio; continuantur tentationum impetus, et,

Digitized by Google

nisi me adjuvare pergas, futurum est utique, ut non solum in easdem culpas relabar, sed etiam graviori quam antea delictorum reatu me obstringam. Tu ergo, o bona Mater, cadentem me sustine; succurre mihi perpetim, et per amorem Jesu Christi, fac ut in omni irruente tentatione ad te confugiam, in hanc erumpens vocem: O Maria adjuva me! O Mater de Perpetuo Succursu, ne permittas me separari a Deo. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.

IV. O Maria, perpetuum catholicæ Ecclesiæ auxilium, quæ inimicis populi christiani *facta es terribilis ut castrorum acies ordinata,* succurre perpetim, precor, sanctæ Ecclesiæ in omnibus ipsius necessitatibus, tutare eam assidue præpotenti tuo præsidio, et tribue ei plenam de omnibus, qui eam impugnant, hostibus victoriam. Conserva in omnium Christi fidelium cordibus vividam fidem, spem firmam et fervidam in Deum ac proximos caritatem. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.

V. O Maria, Mater de Perpetuo Succursu, succurre perpetim omnibus sanctæ Ecclesiæ Rectoribus, Summo Pontifici, epi-

Digitized by Google

scopis, universisque presbyteris qui pastorali munere funguntur, et qui, ob hominum malitiam, eo majoribus difficultatibus ac curis implicantur, quo altius sanctiusque sortiti sunt ministerium. O Summi Sacerdotis Jesu Mater, esto eorum perpetua adjutrix; benedic eis, ut ad amplificandam Dei gloriam animarumque procurandam salutem toti incumbant; corrobora eos, et fac ut, prælia Domini fortiter præliantes, exhibeant se jugiter sicut Dei ministros, in multa patientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, atque ita appareant coram Deo et hominibus tanquam forma gregis, cui pascendo ac regendo sunt divinitus præfecti. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.

VI. O Maria, perpetuum christianarum familiarum auxilium, protege assidue, precor, meam, quam tibi enixe commendo, familiam. Averte ab ea omne malum, et largire ei omne bonum, quod ad consecutionem æternæ felicitatis adjuvare possit. Fac ut christianæ pietatis sensus, et cultus omnium virtutum in ea vigeant. Benedic ei semper, o bona Mater; retine

eam in perpetua tua tutela; defende eam ut rem et possessionem tuam, et fac ut ipsa, sub materno tuo præsidio, perpetua pace lætetur. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.

VII. O Maria, omnium reorum refugium ac perpetuum auxilium, memorare te, ad præstandam peccatoribus salutem, eo devenisse, ut Jesum Filium tuum in Calvariæ monte mactandum offerres. Succurre igitur illis pro quorum salute Unigenitum tuum morti crucis devovisti. Fac ut omnes peccatores infelicissimum suæ animæ statum agnoscant, fac ut induratum eorum cor emolliatur, fac tandem ut in gratiam cum Deo redeant; et, postquam in viam salutis fuerint reversi, redde eos tibi adeo devotos, ut ad te semper recurrant, et tua intercessione magnum perseverantiæ munus consequantur. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.

VIII. O Maria, o perpetuum afflictorum auxilium et salus infirmorum, effunde tuarum miserationum thesauros in eos omnes qui in mœrore versantur. Libera

Digitized by Google

eos, o bona Mater, ab omnibus, quibus premuntur, miseriis, aut certe impetra eis perfectam in suis perferendis malis patientiam, ut ita Dei voluntati amanter acquiescendo per hanc vallem lacrymarum, te duce, ad æterna Paradisi gaudia pervenire mereantur. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.

IX. O Maria, Mater de Perpetuo Succursu, recordare tandem animarum, quæ in flammis Purgatorii expiantur, et quæ, in duro illo carcere, assiduo in Dei veniendi complexum desiderio oblanguent. O clementissima Mater, effunde super has animas rorem maternæ benignitatis tuæ; consolare eas, et libera eas a durissimis illius exsilii suppliciis, illas præsertim animas quæ tibi hac in terra fuerunt magis devotæ; voca eas quam citissime ad te in beatam Patriam, ubi tuas tuique Filii misericordias in æternum cantabunt. *Ave Maria.*

Dulce cor Mariæ, esto salus mea.



Digitized by Google

### Hymnus.

Maria, quæ mortalium
Preces amanter excipis,
Rogamus ecce supplices:
Succurre nobis perpetim.

Succurre, si nos criminum
Catena stringit horrida;
Cito resolve compedes
Quæ corda culpis illigant.

Succurre, si nos sæculi
Fallax imago pellicit;
Ne mens salutis tramitem,
Oblita cœli, deserat.

Succurre, si vel corpori
Adversa sors impendeat;
Fac sint quieta tempora,
Æternitas dum luceat.

Succurre demum filiis
Instante mortis prælio,
Ut, te juvante, consequi
Perenne detur præmium.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.



Digitized by Google

℣. Facta es nobis, Domina, in refugium.

℟. Adjutrix in opportunitatibus, in tribulatione.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui dedisti nobis beatissimæ Genitricis tuæ Imaginem de Perpetuo Succursu speciali titulo venerari: concede propitius, ita nos inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, continua ejusdem Immaculatæ semperque Virginis Mariæ protectione muniri, ut æternæ tuæ redemptionis præmia consequi mereamur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.



Digitized by Google

## IN HONOREM
# SS. NOMINIS MARIÆ.

### PSALMI ET CANTICUM
auctore S. Bonaventura.

### Antiphona.

Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

### Oremus.

Beatæ et gloriosæ semper Virginis Mariæ, quæsumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat æternam. Amen.

### Psalmus I.

Magna es Domina, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, * et in universa ecclesia electorum ejus.

Misericordia tua, et gratia tua ubique prædicatur; * Deus operibus manuum tuarum benedixit.



Digitized by Google

Miserere nostri, Domina, et sana infirmitatem nostram; * tolle dolorem et angustiam cordis nostri.

Mitte Angelum bonum in occursum nostrum, * per quem ab hostibus defendamur.

Miserere nostri in die angustiæ nostræ; * et in veritate tua irradia nos.

Miserere nostri, Domina, miserere nostri; * quoniam tu es spes, et lux omnium sperantium in te.

Memento nostri, perditorum Salvatrix; * exaudi planctus et suspiria nostra.

Miserere nostri, Domina, et ora pro nobis; * in lætitiam bonam verte mœstitiam nostram.

Miserere servorum tuorum, Domina, * et ne sinas eos angustiari in tentationibus suis.

Miserere nostri, Regina gloriæ et honoris, * et ab omni periculo custodi vitam nostram.

Miserere nostri, Mater Salvatoris: * præsta consolationem in tribulatione nostra.

Medere contritis corde, Domina salutis, * et refove eos unguento pietatis.

Gloria Patri et Filio, etc.

Digitized by Google

## Psalmus II.

Ad te, Domina, clamabo, et exaudies me; * in voce laudis tuæ lætificabis me.

Ad te clamavi, cum anxiaretur cor meum; * et exaudisti me de monte Sanctorum.

Amplectamur Mariæ vestigia, peccatores, * et ejus beatis pedibus provolvamur.

Accedite ad eam cum reverentia et devotione; * et delectetur cor vestrum in salutatione illius.

Accedite ad eam in tentationibus vestris; * et stabiliet vos serenitas vultus ejus.

A rugientibus præparatis ad escam, * de manibus quærentium nos liberati sumus gratia illius.

Attendite populi mei præcepta Dei, * et Reginæ cœli nolite oblivisci.

Aperite cor ad investigandum eam, * labia ad glorificandum illam.

Accendantur affectus cordis in illam, * et inimicos nostros induet confusione.

Abstulit a corde mœstitiam, et mœrorem, * et suavitate sua cor nostrum dulcoravit.

Digitized by Google

Adorate illam in decore illius; * glorificate Opificem pulchritudinis ejus.

Adjutorio suo sancto evasimus pericula mortis, * et de sæva peste liberati sumus.

Gloria Patri et Filio etc.

### Psalmus III.

Refugium tu es, Domina, in tribulatione nostra, * et virtus potentior conterens inimicum.

Religiosi omnes, honorate illam: * quia ipsa est adjutrix et vestra spiritualis advocata.

Recurramus ad eam in tribulatione nostra; * et eripiet nos de periculis nostris.

Recordare, Domina, ut loquaris pro nobis bona, * et indignationem Filii tui avertas a nobis.

Respice miseriam nostram, gloriosa Virgo; * angustiam et tribulationem ne tardes removere.

Recordare, Domina, pauperum miserorum; * et sustenta eos ope refugii sancti tui.

Recordare nostri, Domina, ut non apprehendant nos mala; * succurre nobis in fine, et inveniemus vitam æternam.

Digitized by Google

Resperge cor nostrum dulcedine tua; * fac nos oblivisci angustias hujus vitæ.

Respice, Domina, humilitatem servorum tuorum, * et ne sinas eos periculis subjacere.

Reple nos servos tuos virtutibus sanctis; * et ira Dei non appropinquet nobis.

Respice, Domina, humilitatem cordis nostri; * libera nos de afflictione pessima.

Reminiscere miserationum tuarum, Domina; * et releva peregrinationem incolatus nostri.

Gloria Patri et Filio etc.

## Psalmus IV.

In te, Domina, confido, * propter dulcedinem misericordiæ nominis tui.

Judica me, Domina, quoniam ab innocentia mea digressus sum; * sed quia in te speravi, non infirmabor.

In manus tuas commendo corpus et animam meam, * totam vitam meam et diem ultimum meum.

Influe nobis radios tuæ pietatis; * et clarifica nos fulgoribus misericordiæ tuæ.

Innova signa, et immuta mirabilia, * ut sentiamus adjutorium brachii tui.

Digitized by Google

Intercede pro nobis, salutifera Mater Dei, * quæ Angelorum, et hominum salutem peperisti.

Infunde gratiam de thesauris tuis, * et unguentis placa dolorem nostrum.

Ingrediatur oratio nostra in conspectu tuo, * et voces gementium ne despexeris.

In manu tua, Domina, salus et vita consistunt; * lætitia sempiterna, et æternitas gloriosa.

Inveniant, quæso, gratiam apud Deum, * qui te in suis necessitatibus invocabunt.

In periculis et rebus dubiis, * et in necessitatibus cunctis invenietis adjutorium dulce.

Ipsa enim mederis contritis corde; * et refoves unguento pietatis.

Gloria Patri et Filio etc.

### Psalmus V.

Ad Mariam, cum tribularer, clamavi, * et clementia sua exaudivit me.

Ad te, Domina, levavi animam meam in judicio Dei mei; * et precibus tuis non erubescam.

Ave, gratia plena, Deus tecum, * per quam salus mundi restauratur.

Digitized by Google

Ascendisti alternantibus hymnidicis Angelorum choris, * Archangelorum constipata rosis, et liliis coronata.

Ablue, Domina, omnia peccata nostra; * sana omnes infirmitates nostras.

Aufer a nobis tribulationem nostram * et dulcifica omnem dolorem nostrum.

Avertatur a nobis ira Dei per te: * placa eum meritis et precibus tuis.

Aperiantur nobis per te januæ sempiternæ, * ut enarremus in æternum mirabilia tua.

Ad Dominum accede, rogatura pro nobis, * ut per te liberemur de angustiis nostris.

Adjutorium nostrum in virtute sit nominis tui; * per te omnia opera nostra dirigantur.

Ab omni perturbatione libera servos tuos, * et fac eos vivere sub pace et protectione tua.

Adorent te familiæ gentium; glorificent te omnes ordines Angelorum.

Gloria Patri et Filio etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc.

Digitized by Google

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte nobis auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Defende, quæsumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde Tibi prostratam ab omni infirmitate, et peste, et ab omnibus tuere clementer periculis. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Antiphona.

Stella cœli extirpavit,
Quæ lactavit Dominum,
Mortis pestem, quam plantavit
Primus parens hominum.

Digitized by Google

Ipsa Stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem cædunt
Diro mortis ulcere.
Gloriosa Stella maris,
Summis digna laudibus,
Nos a peste tuearis,
Et a mundi fraudibus.
Medicina christiana,
Sanos serva, ægros sana;
Quod non valet vis humana
Præstet tua gratia. Amen.
Audi nos, Maria;
Nam Filius nihil negans, te honorat.
Salva nos, Jesu,
Pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. In omni tribulatione et angustia nostra.

℟. Succurre nobis, piissima Virgo Maria.

Oremus.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictione populi tui, et dixisti Angelo percutienti populum tuum: sufficit nunc, contine manum tuam; ob amorem illius Stellæ gloriosæ, cujus ubera pretiosa contra vene-

Digitized by Google

num nostrorum delictorum dulciter suxisti, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni peste et improvisa morte secure liberemur, et a totius perditionis incursu misericorditer salvemur: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

### Oblatio

**Sui ipsius beatæ Virgini.**

Pretiosissima Dei Genitrix, universorum Domina, et Princeps totius humani generis, cui serviunt Angeli et Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, et universi beatorum Spirituum ordines, cum tota Curia cœlesti, Ego N., hominum creaturarumque vilissimus, motu proprio, tibi, secundum Deum Dominum nostrum, Dominatrici nationum et Principi regum me totum dedo in servum perpetuum. Exspolio me omni meo, si quod habeo, jure, libertate, arbitrio, illudque totum in manibus tuis æternaliter depono. Posside me, o Domina, utere; tamquam servum tuum tracta et exerce. O Domina, sic fiat, oro, et ne digneris aspernari qualecumque famuli tui obsequium. Sis tu Domina mea æterna, sim ego servus tuus æternus, dum Deus erit Deus, cui honor in sæcula. Amen.

Digitized by Google

## Canticum.

Te Matrem Dei * laudamus:

Te Mariam Virginem * profitemur.

Te æterni Patris Filiam * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, * et Archangeli,

Tibi Throni et Principatus * fideliter deserviunt.

Tibi omnes Potestates et omnes Virtutes cœlorum * et universæ Dominationes obediunt.

Tibi omnes Chori, tibi Cherubim et Seraphim * exultantes assistunt.

Tibi omnis angelica creatura * incessabili voce proclamat.

Sancta, * Sancta, * Sancta Maria Dei Genitrix, * Mater et Virgo.

Pleni sunt cœli et terra * majestatis gloriæ fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus * sui Creatoris Matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum cœtus candidatus * Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus * Trinitatis templum appellat.

Digitized by Google

Te sanctarum Virginum chorea amabilis * virginitatis et humilitatis exemplum deprædicat.

Te cœlestis Curia * Reginam honorat.

Te per universum orbem * Ecclesia invocando concelebrat:

Matrem * divinæ Majestatis:

Venerandam te veram Regis cœlestis Puerperam, * sanctam quoque, dulcem et piam veneratur.

Tu Angelorum Domina, * tu Paradisi janua.

Tu scala regni cœlestis et gloria, * tu thalamus, tu arca pietatis et gratiæ.

Tu vena misericordiæ, * tu Sponsa et Mater Regis æterni.

Tu templum, et sacrarium Spiritus Sancti, * totius beatissimæ Trinitatis nobile triclinium.

Tu mediatrix Dei et hominum, * amatrix mortalium, cœlestis illuminatrix.

Tu agonizatrix pugnantium, advocata pauperum, * miseratrix et refugium peccatorum.

Tu erogatrix munerum; * superatrix ac terror dæmonum et superborum.

Digitized by Google

Tu mundi Domina, cœli Regina; * post Deum sola spes nostra.

Tu salus te invocantium, portus naufragantium, * miserorum solatium, pereuntium refugium.

Tu Mater omnium Beatorum, gaudium plenum post Deum: * omnium supernorum civium solatium.

Tu promotrix justorum, congregatrix errantium, * promissio Patriarcharum.

Tu veritas Prophetarum, præconium et doctrix Apostolorum, * magistra Evangelistarum.

Tu fortitudo Martyrum, exemplar Confessorum, * honor et festivitas Virginum.

Tu ad liberandum exulem hominem, * Filium Dei suscepisti in uterum.

Per te, expugnato hoste antiquo, * sunt aperta fidelibus regna cœlorum.

Tu cum Filio tuo sedes * ad dexteram Patris.

Tu Ipsum pro nobis roga, Virgo Maria, * quem nos ad judicandum credimus esse venturum.

Te ergo poscimus, nobis tuis famulis subveni, * qui pretioso sanguine Filii tui redempti sumus.

Digitized by Google

Æterna fac, pia Virgo, * cum Sanctis tuis nos in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domina, * ut simus participes hæreditatis Filii tui.

Et rege nos, * et custodi nos in æternum.

Per singulos dies, * O pia, te salutamus.

Et laudare cupimus, * usque in æternum, * mente et voce.


Dignare, dulcis Maria, * nunc et semper nos sine delicto custodire.

Miserere pia nobis, * miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum; * quia in te, Virgo Maria, confidimus.

In te, dulcis Maria, speramus: * nos defendas in æternum.

Te decet laus, te decet imperium, * tibi virtus et gloria in sæcula sæculorum. Amen.



Digitized by Google




# IN HONOREM S. JOSEPH.

*** Corona precatoria**

in honorem septem ejus dolorum et septem gaudiorum.

I. O purissime Mariæ sanctissimæ Sponse, gloriose S. Joseph, sicut magna fuit cordis tui sollicitudo et anxietas, cum de dimittenda illibata Sponsa tua tecum cogitares, ita inenarrabile fuit tuum gaudium, cum tibi ab angelo altissimum Incarnationis mysterium patefactum est.

Rogamus te per illum tuum dolorem et per illud tuum gaudium, ut mentes nostras, nunc et in extremis nostris doloribus, jucunditate de bene transacta vita consolari digneris, et recreare gaudio de sancte



Digitized by Google

obeunda morte, quam, præsentia Jesu et Mariæ, sicut tuam, lætificet.

*Pater. Ave. Gloria.*

II. O felicissime Patriarcha, gloriose S. Joseph, cui singularis honor obtigit, ut apud incarnatum Verbum putativi patris munus obires, magno utique dolore repletus es, cum Jesum infantem in maxima egestate nascentem videres; sed, audita angelorum symphonia, et conspectis clarissimæ illius noctis splendoribus, in cœleste illico gaudium dolor tuus immutatus est.

Obsecramus te per illum tuum dolorem et per illud tuum gaudium, ut nobis gratiam impetres, illuc post hujus vitæ curriculum perveniendi, ubi angelicas laudes audiamus et cœlestis gloriæ splendoribus perfruamur.

*Pater. Ave. Gloria.*

III. O divinarum legum obedientissime observator et custos, gloriose S. Joseph, pretiosus ille sanguis quem infans Redemptor in Circumcisione profudit, intulit acerbissimum cordi tuo dolorem; sed nomen Jesu, quod puero tunc impositum est, abstersit tibi dolorem et ingenti te gaudio implevit.

Digitized by Google

Rogamus te per illum tuum dolorem et per illud tuum gaudium, ut nobis gratiam impetres, qua ab omnibus vitiis liberemur in vita, et læti quondam cum sanctissimo nomine Jesu in corde et in ore ultimum spiritum reddamus.

*Pater. Ave. Gloria.*

IV. O Vir fidelissime, qui mysteriorum nostræ Redemptionis factus es particeps, gloriose S. Joseph, si Simeonis prophetia de futura Jesu et Mariæ passione mortifero te cruciatu affecit, eadem prophetia summo te quoque gaudio cumulavit, quandoquidem illud pariter futurum esse prænuntiabat, ut salus innumerabilium hominum et gloriosa eorum resurrectio inde provenirent.

Rogamus te per illum tuum dolorem et per illud tuum gaudium, ut iis nos adnumeremur qui, per merita Jesu Christi et intercessionem Virginis matris futuri sunt gloriosæ resurrectionis aliquando participes.

*Pater. Ave. Gloria.*

V. O vigilantissime ac perfamiliaris incarnati Filii Dei custos, gloriose S. Joseph, quantum tibi sudandum fuit, ut Uni-



Digitized by Google

genito Altissimi victum ac famulatum præberes, præsertim tempore illius fugæ, quæ tibi erat in Ægyptum arripienda; sed quanto etiam gaudio repletus es ex jugi illa Dei tui præsentia, et ex corruentium Ægyptiacorum idolorum aspectu!

Rogamus te per illum tuum dolorem et per illud tuum gaudium, ut gratiam nobis impetres, qua infernalem tyrannum, maxime per cujuscunque periculosæ occasionis fugam, longe a nobis amotum teneamus, atque omne terreni affectus idolum ex nostris cordibus expellamus, ut ita Jesu Mariæque famulatui toti addicti, ipsis solis vivamus ac felicem vitæ exitum inveniamus.

*Pater. Ave. Gloria.*

VI. O Angele terræ, gloriose S. Joseph, qui Regem cœli ad nutum tibi famulantem vidisti, si lætitiæ tuæ serenitas, cum eum ex Ægypto reduceres, ob Archelai metum obnubilata est: confestim Angeli admonitio omnem tibi metum levavit, et lætus cum Jesu et Maria in Nazarena domo habitasti.

Rogamus te per illum tuum dolorem et per illud tuum gaudium, ut nocivis ti-

Digitized by Google

moribus liberati, conscientiæ pace perfruamur, et securi cum Jesu ac Maria vivamus, ipsisque præsentibus aliquando moriamur.

*Pater. Ave. Gloria.*

VII. O omnis sanctitatis exemplar, gloriose S. Joseph, summo dolore affectus es, cum puerum Jesum, quem sine ulla culpa tua amiseras, per totum triduum requireres; sed et summo perfusus es gaudio, cum Eum, qui tua erat vita, inter Doctores in templo reperisti.

Rogamus te per illum tuum dolorem et per illud tuum gaudium teque ex intimo corde óbtestamur, ut tua intercessione ab omni gravi culpa, qua Jesu fieret jactura, nos jugiter tuearis. Quod si summa hæc jactura nobis sit aliquando obventura, fac benigne, ut Eum vere dolentes requiramus, donec placatum Eum nobisque propitium, præsertim in hora mortis, reperiamus, atque ita digni reddamur, qui ejus aspectu perfruamur in cœlis, et ejus misericordiam tecum in æternum cantemus.

*Pater. Ave. Gloria.*

Digitized by Google

Antiphona.

Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.

℣. Ora pro nobis Sancte Joseph,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui ineffabili providentia Beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta, quæsumus, ut quem protectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

*Oratio

ad S. Joseph B. Mariæ Virginis Sponsum et Ecclesiæ Patronum.[1])

O beate Joseph, quem Deus ad nomen officiaque Patris erga Jesum gerenda præstituit, deditque Mariæ semper Virgini purissimum Sponsum, et sacræ in terris Familiæ Caput; quem denique Christi vicarius Ecclesiæ universæ, ab ipsomet

---

[1]) Desumpta est latina hæc versio ex *Actis* S. Sedis, volum. XVIII.

Christo Domino fundatæ, Patronum assertoremque elegit; maxima hic qua possum fiducia, eidem Ecclesiæ, quæ in terris militat, præpotens auxilium tuum imploro. Tuere, quæso, speciali cura vereque paterno quo flagras amore, Romanum Pontificem omnesque Episcopos ac Sacerdotes sanctæ Petri Sedi conjunctos. Esto omnium defensor, qui salvandis animabus inter angores atque hujus vitæ incommoda laborant; omnesque ut populi Ecclesiæ se sponte submittant efficito, quod est salutis assequendæ medium omnino necessarium.

Donationem item mei, quam plene atque integre tibi exsequor, sanctissime Joseph, libens volensque excipito. Tibi me totum dico, ut semper mihi Pater, Protector ac Dux in via salutis esse velis.

Eximiam cordis munditiem, atque incensum vitæ interioris amorem mihi impetra. Fac ut ipse tua vestigia premens, omnes actiones meas ad majorem Dei gloriam, divini Cordis Jesu et immaculati Cordis Mariæ Virginis affectibus conjunctas, dirigam.

Digitized by Google

Demum pro me ora, ut pacis et gaudii sim particeps, quibus ipse sanctissime moriens olim gavisus es. Amen.

(Indulg. 300 dierum, semel in die; Leo XIII. 18. Jul. 1885.)

### * Alia ad S. Josephum oratio, a Summo Pontifice Leone XIII. edita.

Ad te, Beate Joseph, in tribulatione nostra confugimus, atque implorato Sponsæ tuæ sanctissimæ auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam quæsumus, quæ te cum immaculata Virgine Dei genitrice conjunxit, caritatem, perque paternum, quo Puerum Jesum complexus es amorem, supplices deprecamur, ut ad hæreditatem, quam Jesus Christus acquisivit sanguine suo, benigne respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras.

Tuere, o Custos providentissime divinæ Familiæ, Jesu Christi sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorem ac corruptelarum luem; propitius nobis, sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e cœlo adesto; et sicut olim

Digitized by Google

Puerum Jesum e summo eripuisti vitæ discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostium insidiis, atque ab omni adversitate defende, nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar, et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in cœlis beatitudinem assequi possimus. Amen.

### Oratio
pro felici morte.

S. Joseph, qui in suavissimo Christi Jesu et dulcissimæ Sponsæ tuæ Mariæ complexu ex hac vita migrasti, succurre mihi cum Jesu et Maria omni quidem tempore, sed tunc potissimum cum ad finem vitæ meæ pervenero; et supremum illud, quod unice peto, solatium mihi impetra, ut inter sanctissima Jesu et Mariæ brachia ultimum meum spiritum reddam. In manus vestras, Jesu, Maria et Joseph, commendo vivens ac moriens spiritum meum, et supplex vos deprecor ut, expleto præsentis vitæ curriculo, beatam vobiscum vitam, in cœli Palatio, vivere incipiam. Amen.

Digitized by Google

### 6. Ad S. Michaëlem
pro felici morte.

*Sancte Michaël Archangele, defende nos in prœlio ut non pereamus in tremendo judicio.* O sancte mei defensor, quam multa sunt, quæ tartareus hostis, tempore mortis meæ, contra me, moturus est arma! Sunt hæc arma peccata mea, quorum aspectu utetur, ut in desperationem me conjiciat, et tentationes quibus me impugnabit, ut rursum divina gratia spolier. Tu igitur, præpotens Archangele, qui eum olim devicisti, et ex supernis sedibus depulisti, veni tunc in adjutorium mihi: in suprema illa hora, eum mihi quoque devince, et tam longe a me repelle, ut nihil damni mihi inferre valeat. Esto propugnator meus; serva animam meam sub tegmine tutelæ tuæ et redde eam dignam, quæ gratiæ splendoribus ornata, Christo Jesu, supremo suo Judici, propriis tuis manibus sistatur. O Maria, cœli Regina, jube, ut S. Michael mihi in hora mortis meæ propugnator assistat. Amen.

Digitized by Google

## 7. Obtestatio pro bona morte.

Genibus coram te, mi Deus, prostratus, adoro te animoque intendo hanc facere obtestationem, quasi in eo jam essem, ut ex tempore in æternitatem migrarem.

Mi Deus, quia ipsa Veritas es, quæ nec fallere nec falli potest, et quia tu quæ credenda sunt, sanctam Ecclesiam edocuisti, credo sacrosanctæ Trinitatis mysterium, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Deum trinum in Personis, et unum in essentia, qui æternum remunerat justos Paradiso, peccatores autem punit inferno; credo secundam Trinitatis Personam, Dei scilicet Filium, humanam assumpsisse naturam et obiisse mortem, ut homines faceret salvos; credo insuper quidquid credit sancta Ecclesia. Gratias tibi ago quod me christianum fecisti, et in sancta hac fide vivere ac mori me velle profiteor.

Mi Deus et Spes mea, tuis promissis confisus, spero a tua misericordia, non meorum quidem, sed Christi Jesu meritorum causa, peccatorum meorum veniam, perseverantiam in tua gratia usque in finem et, post miserabilem hanc vitam, Pa-

Digitized by Google

radisi gloriam. Quodsi me dæmon, mortis tempore, ob peccatorum, quæ commisi, intuitum, in desperationem conjicere tentaturus est, jam nunc protestor, velle me in te, Domine, sperare semper, et mori amantissimis bonitatis tuæ manibus me totum permittendo.

Mi Deus, qui infinito dignus es amore, amo te ex toto corde meo, amo te plus quam meipsum, et protestor, inter eliciendum amoris actum, me ex hac vita velle decedere, ut ita in æternum te amare pergam in Paradiso; quem ea mente tantum efflagito et peropto, ut semper te amare valeam. Quod si pro amore, quo infinita bonitas tua erat prosequenda, nihil hactenus nisi contemptum rependi: pœnitet me pessimæ vitæ meæ; de ea nunc ex intimo corde doleo, et protestor me meas in te offensas velle usque ad mortem detestari et jugiter deflere. Firmum est mihi, hinc in posterum potius mori quam iterum in te peccare, et in præsentiarum ignosco, causa tui, omnibus qui me unquam læserunt.

Lubens, mi Deus, mortem et quascunque hæc secum allatura est molestias

Digitized by Google

excipio. Conjungo eas cum cruciatibus et morte Christi Domini, sicque conjunctas eas tibi offero, tum in obsequium supremi tui in me dominii, tum in peccatorum, quæ commisi, expiationem. Tu vero accipe, Deus, vitam, quam in sacrificium tibi nunc offero; accipe eam respectu pretiosissimi illius sacrificii, quod unigenitus Filius tuus tibi obtulit, cum in ara crucis immolatus est. Tuæ ego voluntati, nunc pro hora mortis, totum me ipse submitto, et protestor, velle me mori emittendo hanc vocem: *Tua Domine, semper fiat voluntas!*

Sanctissima Virgo, Advocata et Mater mea Maria, tu post Deum es erisque mihi morienti spes ac præsidium. Jam nunc ad te confugio, et precor, ut tunc mihi succurras. O mihi cara Regina, noli me in mortis articulo deserere; veni mihi adjutrix; sume tibi animam meam, ac propriis manibus eam Filio tuo siste. Te ego exspecto, futurumque esse spero, ut in tua tutela et in amplexu pedum tuorum, extremum spiritum reddam.

Sed et tu, defensor mei, S. Joseph, tuque S. Michaël Archangele, tu quoque Angele

mei custos, vosque sancti mei Advocati, venite mihi omnes adjutores in supremo illo, quod cum tartareis hostibus mihi sustinendum erit, certamine.

Tu vero, Amor mi crucifixe, o Jesu! qui, ut bonam mihi mortem comparares, amarissimam tibi eligere voluisti: recordare tunc, quæso, me unam ex illis esse ovibus, quas tu proprio sanguine redemisti.

Tu, cum nullus jam mortalium me adjuvare poterit, cumque ab omnibus fuero derelictus, tu penes quem solum tunc erit consolari me ac salvum facere, redde me dignum, qui te in Viaticum suscipiam. Ne sinas eo calamitatis me devenire, ut æternam tui jacturam faciam, atque in infernum detrudar, remansurus in æternum a te disjunctus. Absit a me, dilectissime Salvator, tantum infortunium! Tu ipse tunc intra sacra tua vulnera me recipe; quandoquidem jam nunc pro eo tempore pedes tuos amplector, animoque intendo in amantissimi Cordis tui plagam animam meam cum supremo spiritu exhalare, dicens: *Jesu et Maria, vobis meum cor et animam dono; Jesu et Maria, vobis meum cor et animam dono.*



Digitized by Google



# APPENDIX.

## VARIÆ BENEDICTIONES.

### I. Benedictiones reservatæ

(a facultatem habentibus faciendæ).

**1. Benedictio Scapularis Carmelitani.**

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum tuæque Genitricis Virginis Mariæ de Monte Carmelo amorem servi tui[1]) devote

[1]) Si uni tantum imponendum est Scapulare, adhibeatur forma singularis.

Digitized by Google

sunt delaturi, dextera tua sancti ✠ fica, ut eâdem Genitrice tua intercedente, ab hoste maligno defensi in tua gratia usque ad mortem perseverent. Qui vivis.

Deinde aspergat aqua benedicta sacros habitus, quibus impositis, dicat:

Accipite hunc habitum benedictum, precantes sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferatis sine macula, vosque ab omni adversitate defendat et ad vitam perducat æternam. Amen.

Deinde dicat:

Ego ex potestate mihi concessa, recipio vos ad participationem omnium bonorum spiritualium, quæ, cooperante misericordia Jesu Christi, a Religiosis de Monte Carmelo peraguntur. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Bene ✠ dicat vos Conditor cœli et terræ, Deus omnipotens, qui vos cooptare dignatus est in Confraternitatem beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus vestri conterat caput serpentis antiqui, atque palmam et coronam sempiternæ hæreditatis

Digitized by Google

tandem consequamini. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

**2. Benedictiones scapularium SS. Trinitatis, Passionis D. N. Jesu Christi, Immaculatæ Conceptionis, et septem Dolorum Deiparæ Virginis a facultatem habentibus faciendæ.**

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, omnium caput Fidelium, et humani generis Salvator, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut indumenta hæc in obsequium SS. Trinitatis instituta, nec non in honorem et memoriam dolorosissimæ Passionis tuæ, in honorem beatissimæ Virginis Matris tuæ sine labe conceptæ, doloresque tuos ac vices peramanter dolen-



Digitized by Google

tis, ita bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris, ut qui (*vel* quæ) ea assumpserint, eadem Genitrice tua intercedente, te quoque Salutare nostrum, corpore et anima induere mereantur: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Sacerdos aspergat aqua benedicta.

## Modus induendi.

Sacerdos, postquam omnibus scapularia fuerint imposita, sequentem formulam proferat supra omnes simul.

1. Accipite habitum Ordinis SS. Trinitatis in fidei, spei et charitatis augmentum, ut induatis novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate.

2. Accipite scapulare Passionis Domini nostri Jesu Christi, ut veterem hominem exuti novumque induti, ipsum digne perferatis, et ad vitam perveniatis sempiternam.

3. Accipite scapulare devotorum beatissimæ Mariæ Virginis sine labe conceptæ, ut ejus intercessione ab omni inquinamento mundati, ad vitam perveniatis æternam.

Digitized by Google

4. Accipite habitum Servorum beatissimæ Mariæ Virginis septem Dolores ejus devote recolentium, ut dolores ipsos assidue recogitantes, Passionem D. N. J. C. in corde et corpore vestro impressam jugiter teneatis.

Ego ex facultate apostolica mihi delegata, recipio vos in participationem bonorum spiritualium et indulgentiarum, quibus prædicti Ordines seu Congregationes pollent. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.



Digitized by Google

Oremus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et quibus in tuo nomine sacros habitus imposuimus, ita bene ✠ dicere digneris, ut tuæ gratiæ cooperantes, vitam consequi mereantur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super vos et maneat semper. Amen.

**Formula recitetur numero singulari, si uni tantum personæ sint scapularia imponenda.**

### 3. Benedictio Imaginum
Jesu Christi Domini nostri, beatæ Mariæ Virginis et aliorum Sanctorum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines (*sive* effigies) sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas

oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc, quæsumus, imaginem (*seu* sculpturam) in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi (*vel* beatissimæ Virginis Mariæ, matris Domini nostri Jesu Christi, *vel* beati *N.* Apostoli tui, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *aut* Pontificis, *aut* Virginis) adaptatam bene- ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris: et præsta, ut quicumque coram illa unigenitum Filium tuum (*vel* beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, *sive* Martyrem, *sive* Confessorem, *aut* Virginem) suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in præsenti, et æternam gloriam obtineat in futurum. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Ultimo aspergat aqua benedicta.

---

### 4. Benedictio Rosariorum B. M. V.

(Propria Ordinis Prædicatorum.)

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Digitized by Google

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam caritatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, de cœlis in terram descendere, et de Beatissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut hæc signa Rosarij, in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata, bene ✠ dicas, et sancti ✠ fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus sancti, ut quicumque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in eis ad te, secundum hujus sanctæ Societatis instituta, divina contemplando mysteria devote oraverit, salubri et perseveranti devotione

abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum, et indulgentiarum, quæ eidem Societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc sæculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa Beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus præsentari mereatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat etc.

℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

## II. Benedictiones communes.

### 5. Benedictio domus novæ.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et habitatoribus ejus, ac rebus: ut eam bene- ✠

dicere, et sancti ✠ ficare, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis Domine de rore cœli abundantiam, et de pinguedine terræ vitæ substantiam, et desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene- ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, et Jacob: et intra parietes domus istius, Angeli tuæ lucis inhabitent; eamque, et ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

---

**6. Benedictio super fruges et vineas.**

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oramus pietatem tuam, omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris et pluviæ temperamento nutrire di-

Digitized by Google

gnatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, et fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribue quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere; ut a fertilitate terræ esurientium animas bonis omnibus affluentibus repleas, et egenus et pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

---

### 7. Benedictio ad quodcumque comestibile.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic ✠ Domine, creaturam istam *N.*, ut sit remedium salutare generi humano: et præsta per invocationem sancti nominis tui, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, et animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

---

### 8. Benedictio Infantis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Deus noster miseretur.

℟. Custodiens parvulos Dominus.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ante omnia sæcula genitus, in tempore tamen infans esse voluisti, et hujus ætatis diligis innocentiam; qui parvulos tibi oblatos amanter complexus es, iisque benedixisti: infantem istum præveni in benedictionibus dulcedinis, et præsta, ne malitia mutet intellectum ejus; eique concede, ut proficiens ætate, sapientia et gratia, tibi semper placere valeat. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Deinde infantem aspergat aqua benedicta in modum crucis, dicens:

Digitized by Google

Pax et benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii ✠, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper.

℟. Amen.

### 9. Benedictio Adulti ægrotantis.

Sacerdos cubiculum ægrotantis ingrediens dicat:

℣. Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Et continuo ad infirmum accedens subjungat:

℣. Adjutorium nostrum ✠ in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Introëat, Domine Jesu Christe, domum hanc ad nostræ humilitatis ingressum pax et misericordia tua: effugiat ex hoc loco omnis nequitia dæmonum, adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum: et benedic nostræ conversationi: Qui sanctus et pius

Digitized by Google

es, et permanes cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Oremus.

Respice, Domine, famulum tuum (*vel* famulam tuam) in infirmitate corporis laborantem, et animam refove quam creasti; ut castigationibus emendatus (*vel* emendata), continuo se sentiat tua miseratione salvatum (*vel* salvatam). Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Oremus.

Misericors Domine, fidelium consolator, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ hunc famulum tuum (*vel* hanc famulam tuam) super lectum doloris sui jacentem, visitare digneris, sicut socrum Simonis visitasti: propitius adesto ei, Domine quatenus pristina sanitate recepta, gratiarum tibi, in ecclesia tua, referat actiones: Qui vivis et regnas Deus, in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Deinde, extendens dexteram versus caput ægroti, dicat:

Digitized by Google

Dominus Jesus Christus apud te ✠ sit, ut te defendat: intra te ✠ sit, ut te conservet: ante te ✠ sit, ut te ducat: post te ✠ sit, ut te custodiat: super te ✠ sit, ut te benedicat: Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii ✠, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Demum aspergat infirmum aqua benedicta.

---

**10. Benedictio cujuscumque Medicinæ.**

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui mirabiliter hominem creasti, et mirabilius reformasti, qui variis infirmitatibus, quibus detinetur humana mortalitas, multiplici remedio succurrere dignatus es: propitius esto invocationibus nostris, et sanctam tuam de cœlis bene ✠ dictionem super hanc medicinam infunde; ut ille, qui

Digitized by Google

eam sumpserit (*vel* hi, qui eam sumpserint), sanitatem mentis et corporis percipere mereatur (*vel* mereantur). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox aspergat medicinam aqua benedicta.

---

**II. Benedictio pecorum et jumentorum gravi infirmitate vexatorum.**

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Misericordiam tuam, Domine, supplices exoramus: ut hæc animalia quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine tuo, atque tuæ bene ✠ dictionis virtute sanentur. Exstinguatur in eis omnis diabolica potestas; et ne ulterius ægrotent, tu eis Domine, sis defensio vitæ, et remedium sanitatis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

---

Digitized by Google

**12. Benedictio horrei seu segetum demessarum.**

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui de rore cœli abundantiam, et de pinguedine terræ vitæ substantiam hominibus conferre non desinis: piissimæ majestati tuæ pro collectis fructibus gratias agimus, tuam clementiam exorantes; ut has segetes, quas de benignitate tua suscepimus, bene ✠ dicere, conservare et ab omni noxa defendere digneris; simulque concede, ut quorum in bonis replesti desiderium, de tua custodia glorientur, misericordias tuas sine fine collaudent, et sic transeant per bona temporalia, ut non amittant æterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

**Deínde aspergat aqua benedicta.**

---

**13. Benedictio ad omnia.**

**Hæc benedictionis formula adhiberi potest a quovis Sacerdote pro omnibus rebus, de quibus specialis benedictio non habetur in Rituali Romano.**

Digitized by Google

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.


℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cujus verbo sanctificantur omnia, benedictionem tuam effunde super creaturam istam (*vel* creaturas istas): et præsta, ut quisquis ea (*vel* eis) secundum legem et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem sanctissimi Nominis tui, corporis sanitatem, et animæ tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergit aqua benedicta.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google